



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 06912623 7

14
4



Leo. p. 3. 17. 18.











BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.

BARROIS l'ainé, libraire, rue de Seine, n° 10, F^{bs} St-Germ.

DE BURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.

TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.

DONDEY-DUPRÉ, impr. libr. rue St-Louis, n° 46, au Marais.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

MARCI VALERII

MARTIALIS

EPIGRAMMATA

EXCUEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. V. MARTIALIS
EPIGRAMMATA

AD CODICES PARISINOS

ACCURATE RECENSITA

VARIIS LECTIONIBUS, NOTIS VETERIBUS ET NOVIS,
GRÆCA INTERDUM VERSIONE, NOTITIA LITERARIA,
ET INDICE LOCUPLETISSIMO

ILLUSTRABUNT

QUINQUE PARISIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORES

VOLUMEN TERTIUM ET ULTIMUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESIOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

5 11 2



NEW YORK
JUN 14
1911

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATUM

LIBER XII.

M. VAL. MARTIALIS PRISCO SUO SALUTEM.

SCIO¹ me patrocinium debere contumacissimæ triennii desidiæ : quæ² absolvenda non esset inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius consequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur; nedum in hac provinciali solitudine, ubi nisi³ etiam intemperanter studemus, et sine solatio, et sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem; in qua hoc maximum et primum est, quod civitatis aures⁴, quibus assueveram, quæro, et videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis, quod placeat, dictavit auditor⁵. Illam judiciorum subtilitatem, illud materiaram ingenium, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus studere se volupta-

1. *Spero* in Beverland. MS. — *Scio*. Per tres annos, a quibus secesserat in patriam, nihil scripserat Martialis: diuturni vero silentii causas explicat Proculo advenienti ab urbe Roma in Hispaniam; et petenti epigrammata obsecutus est. Itaque librum hunc duodecimum paucissimis diebus composuit, et Prisco suo amico obtulit.

2. *Quæ absolvenda*. Pro *quæ* habet quo MS. Beverlandi.

3. *Nisi*. Eodem codice non nisi.

4. *Civitatis aures*. Nempe politos auditores desidero, quibus placeant mea carmina: enimvero excitat auditor studium..

5. *Auditor*, etc. A cujus ingenio, iudicio, virtutibus, vitiis, nec non ab urbis magnificis ædificiis ludisque mihi erat seges et materia epigrammatum; idque citra tædium, immo cum venere quadam et delectatione studii.

tibus¹ non sentiunt : ad summam omnium ea , quæ² deli-
cati reliquimus³ , quasi destituti desideramus. Accedit⁴ his
municipalium rubigo dentium , et iudicii loco livor , et
unus aut alter⁵ mali , in pusillo loco multi , adversus⁶ quos
difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris
igitur abjecta ab indignante , quæ a gestiente fieri solebant.
Ne quid tamen et adveniēti tibi ab Urbe , et exigenti
negarem (cui non refero gratiam⁷ , si tantum ea⁸ præsto ,
quæ possim) , imperavi⁹ mihi , quod indulgere¹⁰ consue-
veram¹¹ , et studui paucissimis diebus , ut familiarissimas
mihi aures tuas exciperem adventoria sua¹². Tu velim ista ,

1. *Convinctus omnibus studere se voluntates*, quod olim legebatur.— *Studere se voluptatibus*. Hoc est, auditores non sentiunt se argumentum præbere versibus, quos poetæ cum voluptate et delectatione componunt. Unde infra dicit « quæ a gestiente fieri solebant ». Vel intellige ipsos poetas etiam non cogitantes, dum spectaculis adsunt, studere cura animi delectatione, quod nempe reversi domum faciunt versus de iis, quæ aut viderint, aut audierint.

2. *Illud quod in marg. ed. Langii, Par. 1677.*

3. *Delinquimus Beverland.*

4. *His autem idem.* — *Municipalium*. Municipum meorum Bilbilitanorum invidia et malevolentia, qui quidem maligni et pro loci exilitate multi, me carpunt, obtrectant, mordent.

5. *Unus aut alter*. Quamvis pauci sint, forte duo, qui carpant mea epigrammata, ratione tamen loci exigui plures videntur.

6. *Quod Pulmanni cod.*

7. *Cui non refero gratiam*. Ele-

ganter hanc sententiam expressit Cicero lib. IV, epist. octava : « Reliquum est igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam præstemque, ut ad omnia quæ tui velint ita sim præsto, ut me non solum omnia debere tua causa, sed ea quoque, etiam quæ non possim, putem. — « Proni studii », inquit Val. Max. lib. IV, cap. 8, 1, « certius est indicium supra vires niti, quam viribus ex facili uti. Alter enim quod potest, præstat : alter etiam plus quam potest. » *Εἰ καὶ τὴ ἀδυνατῶν ἴστί μᾶλλον*. Phalaris epist. 31.

8. *Præstabo Beverlandi MS.*

9. *Imperavi*. Edd. vett. *imperabo* : alii *impetravi*. — *Imperavi mihi*. Id est, Etiam nolens, te jubente scribam versus.

10. *Cui indulgere* in Ald. Junt. et plerisque edd. antiquis.

11. *Consueram, et statui leg.* in iisdem.

12. *Adventoria sua*. Turneb. lib. XXX, cap. 26, sic explicat hunc locum. De libro autem ut « de adventoria cœna » loquitur, qua excipere solemus amicos peregre re-

quæ tantum apud¹ te non periclitantur, diligenter² æstimare et excutere non graveris; et, quod tibi difficillimum³ est, de nugis nostris iudices nitore seposito⁴, ne Romam, si ita decreveris⁵, non Hispaniensem⁶ librum mittamus, sed Hispanum.

deutes, aut longo intervallo ad nos venientes.

1. — *Tantum apud*, etc. Non solum apud te cui hæc scribo, sed et apud alios quibus propter te innocescent. Vel: Non tantum iudicii et censuræ periculum apud te, cuius candore fretus sum, inibunt, quantum apud alios non æque æquos et candidos. — Melius hoc, non tamen optimum. Nam sensus est: Tu solus ita me amas, ita mihi faves, ut versiculos hos qualescumque meos indulgens accipias. Ep.

2. *Æstimare* Beverl.

3. *Quod tibi difficillimum*, etc. Solita benevolentia et innata humanitate, quibus me pertinaciter prosequeris, ad tempus depositis,

quo rigidiorum agas censorem, diiudices an Romam mitti mereatur liber hic in Hispania scriptus.

4. *Nitore seposito*. Raderus recte nitorem referre videtur ad elegantiam et humanitatem, quam Priscus ad carmina Martialis afferre solebat.

5. *Decreveram* Beverl. — *Si ita decreveris*. Si tu censueris librum hunc dignum qui Romam videat.

6. *Non Hispaniensem*. Id est, scriptum in Hispania, sed prorsus Hispanum, seu inelegantem et rudem. Hispaniensis autem est ille qui incolit Hispaniam, licet aliunde oriundus sit: Hispanus vero est ille qui natus est in Hispania, quem hic sumit pro barbaro et inculto.

I.

AD EUM DEM.

RETIA dum cessant, latratoresque Molossi,
Et non invento sylva quiescit apro:
Otia, Prisee, brevi poteris donare libello.

* In edd. vett. omnia. legitur *Ad Priscum*.

— Librum Prisco offert opportune legendum.

1. *Retia dum*, etc. Dum cessat venandi studium per anni tempus.

Videtur fuisse ver vel autumnus, neque enim horæ æstivæ nocent, et aprorum venationi inservit maxime hiems. — *Molossi*. Canes acerrimi, sic dicti a Molossis Epiri populis, ubi erant optimi.

Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

4. *Charta pro tota Beverland.* — *Nec æstiva est.* Hoc est, non opus est hora longissima ad legendum meum librum. Diei æstivi, ut et hiberni, longitudinem totam in duodecim partes dividebant Veteres; unde necessario accidebat ut horæ æstivæ hibernis multo longiores essent. Vide lib. IV, epigr. VIII. Hinc constat hunc librum Prisco oblatum fuisse vel extremo autumno, aut brumæ tempore, quod

aptissimum sit venationi aprorum. Alii aliter explicant: nempe non est hora æstiva, quia scilicet æstatis tempore præ nimio calore facile defatigatur lector. — *Nec tibi tota perit.* Etenim liber non est tam malus, quin ex eo fructum aliquem percipias. Mihi videtur sensus: Nec ut soles æstivo tempore, quo maxime laboras et exerceres, nec tamen id temporis totum tibi perit, quum literis studeas.

II.

AD SUA CARMINA.

QUÆ modo litoreos ibatis carmina Pyrgos;
Ite Sacra, jam non pulverulenta via est.

1. *Quæ modo.* Ex Urbe quondam libros meos mihi Pyrgos, ut inde in alias orbis partes mitterentur: jam vero ex Hispania illos mitto in Urbem. Pyrgi (πύργι, τὰρτῆ) oppi-

dulum fuit Etruriæ maritimum. 2. *Non pulverulenta.* Hinc collige hunc librum missum esse vel vere vel autumno, quia tunc humidum est cælum. Vid. epigr. præcedens.

III.

AD LIBRUM SUUM.

Ad populos mitti qui nuper ab Urbe solebas,
Ibis io Romam nunc peregrine liber,

1. *Ad populos.* Hoc epigramma ejusdem argumenti est cum superiore.

2. *Ibis tu Romam vulgg. Nunc Romam sed Beverlandi MS. « lo vox*

frequenter est corrupta, inprimis apud Martialem; apud quem pro *Ibis io Romam tu peregrine liber*, reposuerant homines insciti *Ibis nunc.*» *Hains. Ov. Tom. II, p. 172.* — *Ibis io*

Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis,
 Dat patrios Manes quæ mihi terra potens.
 Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
 Cujus habet fratres tot domus alta Remi.
 Jure tuo veneranda novi pete limina templi,
 Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
 Vel si malueris, prima gradiere Suburra:
 Atria sunt illic consulis alta mei.
 Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
 Clarus Hyanteæ Stella sititor aquæ.

Roman, etc. Ita fere Ovidius, *Tristium* lib. II, eleg. 1, vs. 1: « Parve, nec invideo, sine me liber ibis in Urbem. » — *Io!* sæpius lætitiæ denotat, hic pro *O!* positum fuit. ED.

3. *Auriferi*, etc. Ex Hispania metallis celebri, ubi aurifer Tagus et Salo, cujus aquis ferrum temperatur. lib. I, epigr. L, vers. 12 et 15. Hunc forte tetricum vocat propter agrestes seu tetricos et severos ejus accolæ.

4. *Quod Beverl*. Pro *potens* alii *parens*. — *Dat patrios Manes*. In qua scilicet terra conditi sunt cineres meorum parentum, et quæ patria mea est.

6. *Domus alta*. In quibusdam legebatur *domus una*. — *Cujus habet fratres*. Romæ quippe, quam Remi domum vocat, præcedentes libros scripserat: Romæ autem triginta et quatuor annis manserat, lib. X, epigr. CIV.

7. *Limina templi*. « Corrigo *limina tecti*: quis *templa* jam dabit vs. proximo. Mavis tu tamen retinere *limina templi*, per me licebit; modo vs. sq. pro *templa*, legas *tecta*. » *De Rooy*. Ingeniose; e duobus tamen quæ conjicit, prior lectio ma-

gis mihi aridet, atque vix dubito quin scripserit *Martialis tecti*. — *Jure tuo veneranda*, etc. Namque templum est Apollinis et Musarum, ab Augusto in Palatio excitatum; in quo poetarum opera recitabantur et probata reponebantur cum imaginibus.

8. *Reddita Pierio*. In palatio Musarum atque Apollinis templum excitaverat Augustus, ubi probata poetarum scripta reponebantur, quod Nerva deinde restituit in gratiam chori Pierii seu Musarum, et ipsorum etiam poetarum.

9. *Prima Suburra*. In cujus aditu habitabat Stella, de quo lib. I, epigr. VIII.

10. *Consulis mei*. Stellæ, cui ego consulatum vovi: lib. IX, epigr. XLIII. — Vel, mihi faventis.

12. *Clarus Hyanteæ Stella sititor* libri recentt. sed edd. vett. vel *potator* quod est elegantis et rhythmo contrarium, vel *petitor*. Quoad sensum, de fonte Ianthidos seu Violantillæ intelligunt. Nam *sititor* est Stella, qui diu ambivit Violantillam, Statii Epithal. Sylv. I, in cujus ædibus limpidissimus fuit fons, de quo vide lib. VII, epigr.

Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
 Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
 Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum, 15
 Nec unium siccis perleget ipse genis.
 Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
 Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

1, et lib. VI, epigr. XLVII. — «Toties totiesque monui, ut scribatur *Ianthæ*, Ἰάνθη», inquit Sriverius. At ille fallitur. Nihil huc facit Violantilla, nihil fons Ianthidos. *Hyanteæ* scripsit Martialis. Et *Hyantea* aqua est unda Castalis. Ausonius: et *Hyantea* Aganippe. Ovidio Actæon juvenis *Hyantius*. Statio *Hyantiæ* sorores Musæ. Rursus Ovid. M. VIII, 310, et *Hyanteo* Iolao. Gronovius.

13. *Superbus* Beverland. — *Castalius... Unde*, etc. Propter Stellam poetam.

14. *Ferant* idem. — *Novem dominas*. Musas intellige.

16. *Iste* in marg. ed. Langii Par. 1617; *ista* Beverland. — *Nec unium siccis*. Præ desiderio mei aliquantulum flebit.

17. *Quid titulum poscis?* Hoc est, nomen auctoris.

IV.

AD PRISCUM.*

QUOD Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
 Mæcenas atavis regibus ortus eques,
 Gentibus et populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
 Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
 Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur; 5

* Priscum Mæcenatem suum, ait, dignum æterno præconio immortalitatis, ejus simul virtutes prædicat.

1. *Varro*. Beverl. MS. — *Vario*. Cujus meminit lib. VIII, epigr. XLVIII, vs. 7.

2. *Mæcenas*. Alludit ad illum Horatii versum lib. I, Od. 1: «Mæce-

nas atavis edite regibus», etc. et id Tibullianum: «Mæcenas eques Etrusco de sanguine regum.» ED.

4. *Anus*. Longæva. Vide lib. II, epigr. XXI, v. 2. — *Chartaque*. Hoc est, Te meis in versibus donabo immortalitate.

5. *Tu, si quid*, etc. Subaud. *idas mihi, id facis*.

Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.

6. *Ingenuæ munera pigritiæ.* Ald. Junt. Colin. Par. 1617. Delph. Farnab. Nostram lect. exhibent edd. Schrev. et Maitt. *Barbon.*—*Ingenuæ jus mihi pigritiæ.* Otium literatum intellige, homine ingenuo haud in-

dignum post emerita stipendia. Sex ultimos versus epigrammatis sexti huic conjungendos censet Turnebus lib. XXX, cap. 26. Sed tam Nervæ quam Prisoo convenire posse videntur.

V.

AD CÆSAREM.

LONGIOR undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, et breve rasis opus.
Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti;
Hæc lege tu, Cæsar: forsân et illa leges.

1. *Longior.* Editum jam decimum atque undecimum librum revocavit et contraxit: ad nos tamen integros pervenisse merito existimat Raderus; sunt enim æque longi ac priores libri.

2. *Rasis.* Aldus legit *vasit.* De Rooy ut supra lib. IX, epig. xxvii,

vs. 10, *ludit opus tentat.* — *Breve rasis.* Hoc est, castigando et emendando multa erasit.

4. *Hæc lege.* Hoc est, hos libros contractos: alios vero longiores legendos iis relinque, quibus tu, o Cæsar, otium tutum concessisti, quo carebant regnante Domitiano.

VI.

IN COMMENDATIONEM NERVÆ.*

CONTIGIT Ausoniæ procerum mitissimus aulæ

Νερουᾶν πρῆύτατον βασιλῆων Αύσονις αὐλή

* Roma, inquit, caput mundi, quum Trajani Imperatoris futuros, eosque plurimos annos evolveret;

dixit, omnes bellicosos populos virtutem Imperatoris formidaturos, ejusque armis cessuros.

Nerva : licet toto nunc Helicone frui.
 Recta Fides , hilaris Clementia , cauta Potestas
 Jam redeunt : longi terga dedere Metus.
 Hoc populi , gentesque tuæ , pia Roma , precantur ; 5
 Dux tibi sit semper talis , et iste diu.
 Macte animi , quem rarus habet , morumque tuorum ,
 Quos Numa , quos hilaris posset habere Cato.
 Largiri , præstare , breves extendere census ,
 Et dare , quæ faciles vix tribuere Dei , 10
 Nunc licet , et fas est : sed tu sub principe duro ,
 Temporibusque malis , ausus es esse bonus.

Δέξατ'· ἐπαύροισεν νῦν Ἑλικῶνος ὄλου.
 Ἦθη ἄπλαστα, φρόνημα προσηνές, ἀπρόσκοπος ἀρχὴ
 Αὔθις ἴκοντο· φόβος πᾶς φυγάδε τρέπεται.
 Ἔθνος ἅπαν, Ῥώμη, τεὸν εὐχεται, αἰὲν ἀνακτος
 Τοιούτου σε τυχεῖν, τοῦ δὲ πολυχρονίου.
 Ὀλβιος, ἧς παῦροι τύχον ἔξιος, ὄλβιος ἠθῶν,
 Οἷα Νομᾶς ἂν ἔχειν ἤθελεν, οἷα Κάτων.
 Δωρεῖσθαι, προέμεν, πλουτίζειν ἄνδρα πένητα,
 Καὶ δόμεν, οἳ' αὐτοὶ μὴ χαρίσαιντο θεοί,
 Νῦν εἶη θεμιτόν· σὺ δ' ἐπὶ σκληροῦ βασιλῆος,
 Ἀργαλέων τε χρόνων, ζῆσαι ἄμεμπτος ἔτλης.

2. *Nerva*. De Trajano hoc epigramma et præcedens intelligi potest (immo debet; nam Trajano imperante, Urbem Noster reliquerat); Trajanus enim a Nerva adoptatus dictus est Nerva Trajanus.—*Helicone frui*. Hoc est, libere Musis vacare.

4. *Longi metus*. Quibus percellerantur Romani regnante Domitiano.

5. *Hoc populi*, etc. Quod habet versus insequens, *Dux tibi*, etc.

6. *Talis*. Qualis est Nerva.

7. *Macte*. Dividendum hoc epigramma in duo ad hunc vs. vult Jan. Rutgers.—*Macte animi*. Sensus est: Beatus et felix sis illo animo, atque illis moribus quibus ornari se crederet Numa, et lætaretur Cato, quantumvis morosus, et Stoicæ frontis.

9. *Largiri*. Id est: Nunc liberalitatem exercere potes. At id minima pars laudis tuæ, Imperator optime, quippe qui etiam sub principe crudeli bonus esse ausus sis.

VII.

DE LIGEIA.

Toto vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Ligeia, trima est.

1. *Quot gerit capillos.* Est itaque tripilis seu trifilis. Lib. VI, epigr. LXXIV, vs. 2.

2. *Ligeia.* Melius forsitan *Ligia*

aut *Ligea*. — *Trima.* Triennis. Sic *bimus, quadrimus.* Horat. lib. I, od. IX, 8: « Deprome quadrimum Sabina, O Thaliarche, merum diota.»

VIII.

IN COMMENDATIONEM TRAJANI.

TERRARUM Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum,
Trajani modo læta quum futuros
Tot per sæcula computaret annos,
Et fortem, juvenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret;
Dixit præside gloriosa tali:
Parthorum proceres, ducesque Serum,

1. *Dea.* Non id ὑπερβολικῶς tantum et poetarum usitata audacia dictum; sed inter Deas vere relata est urbs Roma et hodie exstant nummi qui Deam Romanam pingunt aureo solio sedentem, mundum sinistra, dextra Victoriam tenentem. ED.

2. *Nihil secundum.* Vel si quid proximum, longo certe intervallo. Iis fere verbis usus est Hor. quum de Jove, Od. I, XII, 18: «Nec viget quidquam simile, aut secundum.»

6. *In tanto duce, etc.* « Sic Imperatorem, commilitonemque miscueras, etc. » Plin. in Panegyrico Trajani, XIX, 3. Ita locutus est de Cæsare Sylla, referente Sueton. cap. 1: *Cæsari multos Marios inesse.*

8. *Syrorum Beverlandi MS.* — *Parthorum.* Quos bello superaverat Trajanus. — *Ducesque Serum.* Cluverius, lib. V suæ Introductionis cap. 2, Sericam Scythiam hodie Cataisæ regnum esse dicit. De se-

Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem; venite.

quentibus populis sæpius actum supra. — Cluverio de Serica Scythia multi, et ii docti, adversantur; et sane Seras vero simillimum est regionis hujus fuisse incolas quæ nunc vocatur *royaume de Siam*, in ea Indicæ ultra Gangem peninsulæ parte quæ ad occidentem spectat.

10. *Venite*. Pacem scilicet oraturi: habeo enim Trajanum, qui vos a me deficientes castigare poterit. De virtutibus Trajani fuse Plinius ju-

nior in suo Panegyrico. — Ego intelligam libentius, quasi omnibus quos hic advocat populis persuasum esset nihil romano imperatore majus, qui quidem dignus nomine tali, Romam exclamasse: Jam habemus redivivum Cæsarem (Trajanus enim sive ad morum comitatem, sive ad rei militaris peritiam respereris, nulli impar); venite, quem nunquam vidistis admirari nunc datur copia. ED.

IX.

AD CÆSAREM. *

PALMA regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

* Hispaniam pacatam Cæsaris virtuti et moribus adscribit.

1. *Palma*. Cujus præfecti Syriæ, et Trajano gratissimi, mentionem facit Dio in Trajano: iterum meminit in Adriano a quo interfectus est Palma. Alii hoc loco Palmam sumunt pro symbolo victoriæ; minus bene.

2. *Pax peregrina*. Hoc est, Hispani, qui alienigenæ et peregrini Romanis videbantur, vere quieta pace gaudebant provinciam obtinente Palma, nec imperium incu-

sabant severum et rapax cui Roma pacis nomen prætendebat.

4. *Misisti*. Palmam præfectum, et tuorum morum æmulum. Gronovius tamen sic vituperat: « Ibi ridicule nonnulli ex interpretibus, *mores*, id est, præfectum, æmulum tuorum morum. Sed peculiari ratione *mores* in Domitiano prædicat, qui *morum correctionem suscepit*, ut loquitur Suetonius, cap. 8, censorque fuit, prout a Martiali salutatur. Prior tamen sensus potior multis videtur.

X.

DE AFRICANO.*

HABET Africanus millies, tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

* Africani ditissimi et captatoris avaritiam carpit.

1. *Millies*. Centena scilicet sestertium millia. Vid. Tab. ad calcem vol. I. Ed. — *Tamen captat*. Hoc est, servilibus officiis rem facere querit.

2. *Satis nulli*. Argute Aristopha-

nes in Pluto : ὅστ' οὐδὲ μιστός σου γέγον' εὐδείς πώποτε· Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή. Hoc est : « Neque quemquam hominem tui unquam (supple, o Plute) cepit satietas; nam aliarum rerum satietas est omnium. »

XI.

MITTIT LIBRUM AD PARTHENIUM.

PARTHENIO dic, Musa, tuo nostroque salutem :

Nam quis ab Aonio largius amne bibit?

Cujus Pimplæo lyra clarior exit ab antro?

Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?

Et si forte, sed hoc vix est sperare, vacabit,

Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga;

Quatuor et tantum timidumque brevemque libellum

Commendet verbis : Hunc tua Roma legit.

1. *Parthenio*. Vid. lib. V, epigr. vi; et Sueton. in Domit. cap. 16.

2. *Nam quis*. Hoc est, quis est poeta nobilior? Et idem est sensus versuum duorum quæ sequuntur, nec aliud continent quam poeticæ excellentiæ περίφρασην.

3. *Pimplæo*. Lib. XI, epigr. III, vs. 1. — *Lyra clarior*, etc. Forte et Lyricis vacasse Parthenium quidam putarent. Non ego; Lyra illic poe-

tam hunc esse duntaxat significat.

4. *Pierio de grege*. Hoc est, e poetis, lib. I, epigr. LXXVII.

6. *Tradat ut*. Idem rogavit Parthenium, lib. V, epigr. vi. — *Duci*. Nervæ, aut potius Trajano.

7. *Quatuor verbis*, etc. Quæ subsequuntur, nempe : *Hunc tua Roma legit*. — *Tua*. Quæ tibi impense famulatur, te adorat, dominatione tua læta et superbiens.

XII.

IN POSTHUMUM.*

OMNIA promittis, quum tota nocte bibisti :
Mane nihil præstas. Posthume, mane bibe.

* *Ad Pollionem* inscribitur in cod. Thuan.

— Virum reprehendit qui ebrius nihil non compotantibus pollicetur, at ubi sui compos, nihil præstat.

2. *Pollio Beverlandi MS.*—*Mane.* Hoc est, postridie. — *Mane bibe.* Ut promittas, atque eodem die memor præstes; dormienti enim tibi promissa excidunt ex memoria.

XIII.

AD AUCTUM.

GENUS, Aucte, lucri divites habent iram,
Odisse, quam donare, vilius constat.

1. *Genus lucri.* Nimirum divites sangebant iram, ne aliquid donarent, lib. III, epigr. xxxvi. Tunc autem quis pauper vociferanti con-

traria dicere ausus esset, quum timeret ne divitem et potentem gravius læderet, innocuum sese probans, quam silentio? Ed.

XIV.

AD PRISCUM.*

PARCIUS utaris, moneo, rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.

* Monet Priscum venatione plurimum se oblectantem, vel raro, vel caute, nec toto equi impetu feras persequatur, si obvia pericula casusque declinare velit.

1. *Rapiente veredo.* Turneb. lib. XVIII, cap. 1. Opinio est, inquit, veredum equum esse, qui vehat rhedam: sed ego veredum equum puto, qui neque rhedam, neque

Sæpe satisfecit prædæ venator, et acri
 Decidit excussus, nec rediturus, equo.
 Insidias et campus habet : nec fossa, nec agger, 5
 Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
 Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent,
 Invidia fati sed levioꝛe cadant.
 Si te delectant animosa pericula, Tuscis
 (Tutior est virtus) insidiemur apris. 10
 Quid te fræna juvant temeraria? sæpius illis,
 Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem.

cisium trahat, etc. Gallice possis interpretari *un coureur*.

3. *Satisfecit*, etc. Ipse, dum prædam captaret, præda factus.

5. *Insidias*, etc. Vel in plano locus est ruinæ et morti.

7. *Deerit* Beverlandi MS. qui etiam præstet. — *Non deerunt*. Alii scilicet, qui te comitabuntur.

8. *Cadat idem*. — *Sed levioꝛe*. Sed minor est aliorum jactura, et levior inde invidia in deos. Vide lib. I, epigr. XIII, vs. 10.

9. *Animosa pericula*. In quibus opus est magna fortitudine. — *Tuscis*. Ingentibus et ferocibus, quales habet Tuscia : lib. VII, epigr. XXVII : « Tuscæ glandis aper populator. » Legunt alii, *tu scis*, hoc est, tu novisti rem ita se habere. Eligat lector.

10. *Tutior est virtus*. Nam ab insidiis magis sibi caveant venatores.

12. *Equitem rumpere*. In hac leporum venatione sæpius venator incautus periit, quam lepus.

XV.

ADULATORIUM.*

QUIDQUID Parrhasia nitebat aula,
 Donatum est oculis, Deisque nostris.
 Miratur Scythicas virentis auri

* Raderus hoc epigramma ad Trajanum refert; nec adulatorium esse dicit, sed historicum potius et verum.

1. *Parrhasia*. Id est, Palatina;

vid. ad lib. VII, epigr. LVI, vs. 2.

2. *Donatum est oculis*. Templis consecratum est ab omni populo spectandum.

3. *Miratur...*, *stupet*. Non sine ad-

Flammas Jupiter, et stupet superbi
Regis delicias, gravesque luxus.

5

Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem :

Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.

Omnes cum Jove nunc sumus beati :

At nuper (pudet, ah pudet fateri)

Omnes cum Jove pauperes eramus.

10

miratione et stupore videt se auro effictum gemmisque radiantem Jupiter lib. XI, ep. iv, vs. 3. Alii, *Superbi Regis*. — *Scythicas*. Referas ad aurum, vel smaragdos; nam utroque clarent Riphæi montes. — *Virentis auri*. Repercussu smaragdorū aureis imaginibus et poculis insertorum. Intelligit ergo *aurum gemmatum*, quod virebat Scythicis smaragdis, quibus textum erat. Aliud vero *gemmeum* poculum; aliud *gemmatum*. Nam *gemmeum*, ex una gemma in poculum cavata, ut apud poetam: *hic gemma bibat*. Sed *gemmatum*, κατάλιθον, aureum totum et gemmis intextum. Persuasum autem veteribus fuit nullo lapide aptius decorari quam smaragdis aurum, nullo tam bene flavum colorem quam viridi.

4. *Superbus* in edd. vett. *superbas* Farnab.

5. *Gravesque lusus* alii. — *Regis*. Domitiani, quem vivum summis laudibus extulit, jam mortuum vituperat Poeta. — *Gravesque luxus*. Ut adornaret templa, spectacula ederet, atque suis voluptatibus indulgeret, Romanos spoliabat Domitianus, unde ejus lusus graves erant populo.

6. *Hæc sunt pocula*, etc. Ii sunt crateres, eæ pateræ quas deceat

pariter præbere Ganymedem, accipere Jovem; Ganymedem vini plenas porrigere, Jovem exsiccare et vacuas rursum tradere.

7. *Phrygium ministrum*. Ganymedem nempe; pocula Domitiani Jovi consecravit Trajanus.

9. *At piget* in marg. ed. Langii, Par. 1617.

10. *Cum Jove*. Quem donis ingentibus exornavit Trajanus. — *Omnes cum Jove pauperes*. Attamen lib. IX, epigr. iv, dixit Poeta Jovem non fore solvendo parem, si ab eo Domitianus repetisset impensas, quas in templis Capitolinis fecerat. Melius ergo, ut opinor, aliter explicabis, cum Jove, hoc est, cum Domitiano, qui alterum Jovem haberi se volebat. Vide lib. IX, epigr. xxxvii. — Fallitur hic interpres. Quid enim sensus ille sibi vult, et qua ratione cum his quadrat quæ præcedunt? quomodo pauperem asseverare potest Domitianum, cui omnia objicias licet, sed non simplicitatem nimiam? Respiciatur tantum ad v. 4 et 5: « Jupiter stupet superbi regis delicias? » At Jovem supra dixit ditatum a principe. Quid inde? Vivum adulabatur, mortuum carpit; mirumque sane est, aliquem sic converti, et ut aiunt, παλινωδίαν cantare. ED.

XVI.

IN LABIENUM.

ADDIXTI, Labiene, tres agellos :
Emisti, Labiene, tres cinædos :
Pædicas, Labiene, tres agellos.

1. *Addixti.* Eodem fere sensu, lib. X, epigr. xxxi invehitur in eum qui servum vendiderat, ut laute cœnaret.

3. *Pædicas agellos.* Quia pædicando

absument. Haud absimilis, licet pudica magis et circa mensæ voluptates, gallica hæc locutio : *Manger ses rentes, manger ses terres*, pro *epulando absumere.* ED.

XVII.

IN LENTINUM.*

QUARE tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, et usque gemis.
Gestatur tecum pariter, pariterque lavatur :

* *In Lætinum* Thuan. exhibet cod.

— Insectatur luxum ægri et febricitantis Lentini; qui questus de diurna febre, febris causam, ut sunt vina et cupediæ, non amovebat; non mirum ergo, febrem tam laute apud Lentinum delicateque habitantem non discedere.

1. *Lætime* Beverl. MS. — *Quare tam multis*, etc. Quum febris a te excipiatur molli gestatione, balnearum blanditiis, optimarum dapum vinorumque deliciis, omnium denique, quæ humoris sui fomitem et nutrimentum febris appetit, lautitia et luxu; inhumana certe et

insulsa foret, si a tam felici et benigno hospite ad pauperem miserumque deficeret ac discederet. Lepidissimus est ejusdem ingenii apologus N. Gerbelli de Podagra et Aranea, et epigr. Græc. lib. II, cap. 43 Μισόπτωχα θειά, μούνα πλούτου δαμάτιρα, etc.

2. *Non abeat febris, quæris.* Scriber. legit *quereris febris.*

3. *A te gestatur* Vat. — *Gestatur tecum*, etc. Hor. Od. III, 1, 40, de animi ægritudine : « Post equitem sedet atra cura. » Et Nostras *Boileau*: Le chagrin monte en croupe, et galope avec lui. — *Gestatur...*, *lavatur*, *cœnat.* Nota

Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
 Ebria Setino fit sæpe, et sæpe Falerno: 5
 Nec nisi per niveam Cæcuba potat aquam.
 Circumfusa rosis, et nigra recumbit amomo;
 Dormit et in pluma, purpureoque toro.
 Quum sit ei pulchre, quum tam bene vivat apud te,
 Ad Damam potius vis tua febris eat? 10

quam fideliter omnia exsequatur, quæ per unius diei spatium solebant agere, exercitationes corporeas, lavationem, prandium.

4. *Boletos, ostrea, etc.* Quæ omnia in deliciis apud ditiores.

5. *Setino ... Falerno.* De optimis vinis sæpe actum.

6. *Niveam aquam.* Lib. V, epigr. LXIV, vs. 2.

7. *Nigra, etc.* Uncta amomo et unguentis omnibus qui subfuscum addebant colorem comæ. Ut epigr. xxxviii, infra.

9. *Recubet pro sit ei Beverlandi MS. Sic tam pulchre, tam belle vulgg.*

10. *Dammam* in edd. vett. — *Damam potius, etc.* Proletarium nescio quem inopem et infelicem. Nam poetis usurpatum Damæ nomen pro servi manumissi, in primis Horat. et Persio. — Idem ferme cogitans gallicus quidam poeta (*François de Neufchâteau*) de eadem:

Hôteſſe des palais des grands,

Que cherche-t-elle en ma chaumière?

Cf. et fabula eximii *La Fontaine* cui titulus, *La Goutte et l'Araignée*.

XVIII.

AD JUVENALEM.*

DUM tu forsitan inquietus erras
 Clamosa, Juvenalis, in Suburra,
 Aut collem dominæ teris Dianæ;
 Dum per limina te potentiorum

* Describit otium suum Bilbilitanum.

1. *Inquietus.* Officiis et curis urbicis distentus. Quod inferius mox describet.

2. *Juvenalis.* Poeta satyricus satis notus. — *Clamosa Suburra.* Ubi nem-

pe frequens clamor, quod illic esset forum rerum venalium, lib. VII, epigr. xxxi.

3. *Collem Dianæ.* Montem Aventinum intellige, in quo erat templum Dianæ sacrum. Vid. ad lib. VI, epigramma LXIV, vs 13.

Sudatrix toga ventilat, vagumque
 Major Cœlius, et minor fatigant;
 Me multos repetita post decembres
 Accepit mea, rusticumque fecit,
 Auro Bilbilis et superba ferro.
 Hic pigri colimus labore dulci
 Boterdum Plateamque : Celtiberis
 Hæc sunt nomina crassiora terris.
 Ingenti fruor improboque somno,
 Quem nec tertia sæpe rumpit hora,
 Et totum mihi nunc repono, quidquid
 Ter denos vigilaveram per annos.
 Ignota est toga : sed datur petenti
 Rupta proxima vestis e cathedra.
 Surgentem focus excipit superba

5.

10

15

5. *Sudatrix toga.* Clientes toga induti adibant suos patronos.

6. *Major Cœlius, et minor.* Montes. Majorem olim Querquetulanum dictum scribit Tacitus, et Cœlium postea a Cœle Vibenna, Hetruscæ gentis duce; minor Cœliolus, aut Cœlicolus dictus. Vide Marlianum lib. IV, cap. 18.

7. *Per MS. Beverl.* — *Multos post decembres.* Post annos nempe 34, lib. X, epigr. CIV, vs. 10.

9. *Auro Bilbilis, etc.* Supra epigr. III, vs. 3, et lib. I, epigr. L.

11. *Botrodum* Ald. Junt. Colin. *Bothrod.* edd. Par. 1617 et Maitt. Nostram lectionem dat codex Beverlandi. De Boterdo, Botrodo aut Bothrodo lib. I, epig. L, 7. De Platea vero egimus lib. IV, epigr. LV, 13.

13. « *Ingenti non placebat Gru-terò; neque mihi arridet. An repetend. h. l. τὸ Hic, et legend. Hic pingui fr. ?* De Rooy. *Urgenti* Grut.

Ingentis cod. Palat. — *Improbo.* Per- tinaci, qui vanas urbanorum solli- citudines et tædia quodammodo irridet. Ed.

14. *Tertia hora.* Nimirum ab ortu solis. Vide lib. IV, epigr. VIII.

15. *Totum mihi, etc.* Compenso somno et edormio, quidquid Romæ vigilaveram.

17. *Ignota est toga.* Sensus est : Officia togatorum hic nulla sunt. Lib. X, epigr. LI, vs. 6. « Jani Nu- mæque languidos menses in otio fuliginoso et tunicata quiete trans- mittere. » Sidonius, lib. II, epist. 14. — *Datur potenti.* Mihi mane sur- genti petentique datur a servo.

18. *Rupta et a cath.* MS. Beverl. — *Rupta proxima.* Morem ostendit hominis rusticantis, qui solutus curis dum it dormitum, vestem negligenter conjicit in cathedram. Sic Domitius.

19. *Accipit* MS. in marg. ed. Par.

Vicini strue cultus iliceti, 20
 Multa villica quem coronat olla.
 Venator sequitur; sed ille, quem tu
 Secreta cupias habere sylvæ.
 Dispensat pueris, rogatque longos
 Levis ponere villicus capillos. 25
 Sic me vivere, sic juvat perire.

1617. — *Surgentem focus.* « Vicina in ipsum sylvæ descendet focum », lib. I, epigr. L, vs. 27.

20. *Fultus* cod. Beverl.

21. *Multa villica*, etc. Quem villica cingit multis ollis. Vel cui foco villica imponit ollas coquentes ad prandia et cœnas.

22. *Ille, quem tu.* Delicatus adeo et mollis, ut in deliciis habeas et cupias, etc.

23. *Dispensant pueri* ed. Barb. et sic alios legere notavit Farnabius; quod tamen satis obscuro sensu.

24. *Rogatque longos.* Villicus no-

vacula rarus, rogat dominum ut liceat pueris deponere capillos, quod signum erat emeritæ suæ militiæ, ut jam in viros transcripti rei rusticæ dent operam. Ramiresius ad lib. III, epigr. LVIII intelligit ipsum villicum levem rogare dominum, ut hoc sibi liceat. Vide an huc faciat illud Catulli in Epithalamio, « Sordebam tibi, villice Concubine, hodie atque heri. Nunc tuum cinerarius Tondet os. » — *Levis villicus*, cui nihil adhuc erat lanuginis, quemadmodum *laetes pueros* posuit lib. XI, epigr. XXII.

XIX.

DE ÆMILIO.

In thermis sumit lactucas, ova, lacertum,
 Et cœnare foris se negat Æmilius.

1. *In thermis.* Divites iis quibuscum lavabant cibos paucos et leves in ipsis thermis distribuebant: hos Æmilius vorabat, ita ut ei non jam necesse foret cœnare foris: interim prædicabat se non captare alienam cœnam, quasi perinde non esset in alienis œdibus cœnare. Epigr. LXX, infra, de Apro: « Sobrius a thermis

nescit abire domum. » — *Lactucas, ova, lacertum.* Ergo non, velut par est, aliquid duntaxat libat quo « stomacho accedat fultura ruenti » (notum enim, quæ sequatur lavationem debilitas, præsertim si calidis aquis, si laconicis corpus foveatur); sed convivium totum absumebatur ejus ingluvie. Ed.

XX.

AD FABULLUM.

QUARE non habeat, Fabulle, quæris
Uxorem Themison? Habet sororem.

1. *Habet sororem.* Hoc est, amicam. Vide lib. II, epigr. iv.

XXI.

AD MARCELLAM.*

MUNICIPEM rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam;
Nulla nec in media certabit nata Suburra,
Nec Capitolini collis alumna tibi.

* Uxorem Martialis, de qua vide epigr. xxxi, infra.

— Marcellam uxorem habuit Poeta; laudat hic ejus comitatem, prudentiam, et morum suavitatem, ipsisque romanis Junonibus comparare juvat.

1. *Municipem.* Quis te crederet Hispanam e Bilbili quam alluit Salo? Credit nimirum, aut simulat credere se, nusquam gentium pulchritudinem, leporem, elegantiam, munditias esse, nisi Urbis reginæ intra muros; quod vulgo iis persuasum qui diu magnæ regionis caput urbem tenere. ED.—Fluvii Salonis. Fluvii ferrum durantis. Lib. IV, epigr. LV, 15: «Armorum Salo tem-

perator.» Conf. epigr. III, sup. v. 3.

2. *Qui.* MS. Beverl.

3. *Pallatia dicent.* Roma, si te videat, dicet te apud se natam, et educatam in ipsa principis aula. Sic lib. XI, ep. LIII, v. 3: «Romanam credere matres Italides possunt.»

4. *Audierint.* Morum scilicet, ingenii et linguæ elegantiam.

5. *Ulla* legunt aliqui duplicem negationem, ut minime latinam, vitantes: *certarit* marg. ed. Par. 1617.

— *Nulla nec.* Duo hic negationes, more Græcorum usurpatæ, magis negant. — *Certabit.* Hoc est, nec ulla mulier, vel media in Urbe nata, tecum contendet de elegantia et comitate morum, etc.

Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
 Romanam deceat quam magis esse nurum.
 Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
 Esse jubes : Romam tu mihi sola facis.

7. *Nec cito.* « Legend. ex vet. libro *Te cito*, etc. Hi vero duo versus miris modis olim vexati sunt. » *Flosculus.* « Nihil hic mutandum existimo. Sententia est, nisi valde fallor : Nec temere ullus alius partus peregrinus erit, quem romanum existimari magis deceat. Nam pro *ducat* probò *deceat*, quod in vett. libb. » *Heraldus. Sicori debet* MS. Beverlandi, qui, *I. e. debetur*, ait : « Non Sicori, inquit, debetur gloria peregrini partus ; ipse siquidem Sicoris non inficiabitur te, ingenio et moribus romanis præditam, Romanam potius quam Hispanam esse dicendam. » J. Vossius. Irrito itaque conatu frivolum suam emend. astruit Scaliger in Catull.

LXII. *Dicet te* J. Voss. et *Ducat* edd. vett. et *Farquum*, ut videtur, cod. in Par. 1617. — *Nec cito.* sum sic explicat cum *Hederus*, *Nec gloria peregrini* Id est, nec ulla puella enascetur, et nata arrideat aut matri, quæ magis existimari Romanam vel aliam manis, quam te, o Martialis, Eclog. IV, 60, « Incipe, per risu cognoscere matrem »

9. *Dominæ urbis*, Roma quæ « terrarum Dea genitrix » Sup. epigr. VIII, vs. 1.

10. *Romam*, etc. Etiam *pulares meos*, quando tu habitas, me Romæ esse m

XXII.

DE PHILÆNIDE.

QUAM sit lusca Philænis indecenter,
 Vis dicam breviter tibi, Fabulle ?
 Esset cæca decentior Philænis.

1. *Philænis.* De hac muliere jam sæpe Martialis, neque unquam bonam in partem. Nam quidquid ei inerat vitii tetrasticho hoc conjuncta ex presserat (lib. II, ep. xxxiii) : « Cur non basio te, Philæni ? calva es. Cur non basio te, Philæni ? rufa es. Cur non basio te, Philæni ? lusca es. Te qui basiat, hic, Philæ-

ni, fellat. » Quæ sigillatim arripit et cavillatur, lib. LXV ; lib. VII, epigr. LXVI ; lib. IX, epigr. xxx, xli et lib. X, epigr. xxii.

3. *Decentior.* Capta eque oculo minus deformatur. Atqui cæcam horrenciens ; quanto magis ergo

XXIII.

IN LÆLIAM.*

DENTIBUS atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

* Edentula eras, adscivisti dentes eburneos buxeosque: calva eras, sumpsisti comas factitias et emptitias: cæca facta es, qua arte reficies hoc damnum, quum oculi non perinde ac comæ atque dentes adulterati emantur?

2. *Quid facies? oculus, Lælia, non e.* Pulmanni cod. Consule Var. Not. — *Quid facies oculo.* Qua arte

oculi deformitatem teges? oculi fictitii non emuntur. Vid. not. 1. Cæterum puto epigrammatis illius primariam cogitationem Nostro eodem tempore incidisse, quo præcedentis. Enim vero persæpe in nostratibus qui quidem plurima epigrammata scriptitarunt, duo vel tres vel amplius occurrunt, quorum eadem aut similis materia est.

XXIV.

AD JUVENCUM, DE COVINO CURRU.

O JUCUNDA, Covine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus Æliani;
Hic mecum licet, hic, Juvence, quidquid
In buccam tibi venerit, loquaris.

5

1. *Coccine* cod. Beverl. — *Covine.* Vehiculi falcati genus est, quo Galli in præliis utebantur. — *Jucunda solitudo.* Nempe propter umbram covini tecti et velati, ut ait Raderus: sed melius, meo judicio, Farnabias covinum solitudinem dici a Poeta censet, quod regeretur sine mulione.

2. *Carruca, essedoque.* Sunt etiam curruum genera.

3. *Æliani* edd. Col. Paris. 1617 et Farnab. *Neliani* Junt. per errorem. Alios *Hadriani* legere notat Farnab. et sic legit cod. in ed. Par. 1617. *Adiani* Vat. nisi errat Beverl.

4. *Quidquid.* Quodlibet libere dicas.

Non rector Libyci niger caballi,
 Succinctus neque cursor antecedit.
 Nusquam est mulio : mannuli tacebunt.
 O si conscius esset hic Avitus,
 Aurem non ego tertiam timerem.
 Totus quam bene sic dies abiret!

10

6. *Vector*, edd. vett. et Farnab. *Vectus*, scilicet est ὁ ὑποχόμενος ἐφ' ἵπποις. Sic *vehere equo* atque *in equo*, frequens pro *vehi*, ὀχεῖσθαι ἵπποις. *Caballo* MS. Beverlandus. — *Niger caballi*. Maurus, Massylus eques, omnium expeditissimus. Vid. ad lib. IX, epigr. xxiii, vs. 14, et

pariter lib. X, epigr. xiii, vs. 2.

8. *Mannuli*. Parvi equi qui sermones nostros non deferent, a quibus scilicet trahebatur covinus.

9. *Avitus*. Ad quem Martialis libro IX, epigr. 1.

10. *Aurem non*. Aviti scilicet qui verba nostra insidiose non exciperet.

XXV.

IN THELESINUM.*

QUUM rogo te nummos sine pignore, Non habeo, inquis.
 Idem, si pro me spondet agellus, habes.
 Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
 Credis colliculis, arboribusque meis.
 Ecce reum Carus te detulit : adsit agellus.
 Exsilio comitem quæris? agellus eat.

5

* Fœneratorem Thelesinum, qui nihil Poetæ sine pignore credebat, exagitat. Scribit quasi Romæ esset. *Raderus*.

2. *Spondet agellus*. Qui scilicet probat me debito tuo facile parem, et eum esse qui solvere possim; et in quem irrogare possis quas nunc vocamus *hypothèques*. *Er*.

3. *Credis*. Id est committis.

4. *Caulic*. MS. in marg. ed. Par. 1617. *Codic*. cod. Beverl.

5. *Reum casus* id. codex. — *Carus te detulit*. *Caussidicus* et delator, Do-

mitiano imperante famosissimus, ut Neronianis temporibus Eprius ille Marcellus; de quo Juvenalis sat. I, vs. 36, et Plinius Cæcilius jun. lib. I, epist. v, 3. — *Adsit agellus*. Tibi in iudicio, causam tuam agat agellus meus, cui magis credis quam mihi. *Scoptice*.

6. *Exsilio*. MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Exsiliū comitem*. Id officii et honoris magni loco olim censebatur, exulantem et profugum patria procul sequi. — *Agellus eat*. Non ego, vetus sodalis.

XXVI.

IN AVARUM AMICUM.*

SEXAGINTA teras quum limina mane senator,
 Esse tibi videor desidiosus eques,
 Quod non a prima discurram luce per Urbem,
 Et referam lassus basia mille domum.
 Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis,
 Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas;
 At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
 Et matutinum ferre patique lutum,

* *Ad Lætorium* ed. Barb. et sic scribit Scriver.

— Eosdem labores, non eadem præmia divitibus et pauperibus esse proposita Romæ, quasi adhuc degeret in urbe, ostendit. *Rad.*

1. *Sexaginta* iu omnibus codd. manu exaratis. Sed: « Omnino *Sexagena*; vide Voss. in *Arte grammatica*. » *Schrevel.* — *Sexaginta*. Hoc est, quum tu, ordinis senatorii, discurras, ego vero dignitate inferior, eques scilicet, et quidem sine censu, tibi videor desidiosus, qui summo mane potentioribus non nuntiem salutem.

2. *Desidiosus eques*. Honorarium equitem, hoc est, principis munere, non censu fuisse poetam nostrum jam vidimus lib. V, epigr. XIII, ubi id dicit: « Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper; Sed non obscurus, nec male notus eques. » mox eodem lib. epigr. XVII: « Dum tibi noster eques sordida conditio est; » at lib. IX, epigr. L, vs. 4. « In hac ibam conspiciendus eques. » *Ed.*

4. *Et*. Alios *Nec* legere notat *Schrevel.* — *Et referam*. De his salutantium basiis sæpe diximus, imprimis ad lib. VII, epigr. xcv; et lib. XI, epigr. xcvi.

5. *Sed tu*. « *Malo Ceu tu*, posita vs. 4 post *domum* minori distinctione, ut vs. 8. » *De Rooy.* — *Sed tu purpureis*. Hoc est, ut consul fias; consulum enim nomina in fastos referebantur purpura illitos. De fastis autem satis notum, et ipsos consules purpuratos, diximus jam lib. XI, epigr. iv, vs. 5. *Ed.*

6. *Aut Numidum*. Numides vocantur auctore Stephano populi circa Nilum fluvium; Cappadoces vero Asiæ Minoris sunt populi, de quibus jam supra. Sensus est: Tu colis potentiores, ut obtineas provinciam cum imperio.

7. *At mihi . . . quid petitur*. Hoc est, quid spero, quum rupta est aluta pellis? nempe ex qua conficiebantur calcei.

8. *Et matutinum*. Vide lib. III ep. xxxvi, vs. 4, et l. X, ep. x, vs. 8.

Quid petitur? rupta quum pes vagus exit aluta,
 Et subitus crassæ decidit imber aquæ; 10
 Nec venit ablatis clamatus verna lacernis :
 Accedit gelidam servus ad auriculam,
 Et, Rogat ut cœnes secum Lætorius, inquit.
 Viginti nummis non ego malo famem?
 Quod sit cœna mihi, tibi sit provincia merces, 15
 Et faciamus idem, nec mereamur idem.

9. *Rupta quum pes*, etc. Fatigati nempe ob tot et tantas cursitationes, salutationes, anteambulationes. Iisdem fere verbis Juvenalis, Sat. III, v. 149 et 150: «rupta calceus alter Pelle patet.» ED.

10. *Et subitus*. Et pluvia repentina perfusus domum redeo. Vid. Juvenalis, qui Sat. III, hac locutione utitur. Male *aquam crassam* corporis sudorem interpretatur Domitius.

11. *Ablatis*. Jac. Bongarsius conijcit legendum esse *adlatis*. — *Nec venit*. Hoc est: Nec vocatus multiplici clamore iterumque iterumque rogatus, servus unus ex tanta domo detritis meis lacernis aut humidis adest, qui novas afferat, detritas tollat; sed duntaxat a divite quodam Lætorio venit servus, qui me multo nimis defatigatum invitet ad cœnam. ED.

14. *Famem*; ed. Maitt. *Viginti nummis*, non ego, malo famem; ed. Schrevel. *Viginti nummis? non ego: malo famem*, ed. Barb. Forte legendum non eo. — *Viginti nummis*, etc.

Annon parvo mihi satius esset domi tenuem parvo pretio emptam sumere cœnam, quam tot officiis et tanto labore fructum demereri rectam cœnam vel sportulam? quæ centum quadrantibus (vel viginti quinque sestertiis æstimata). Confer ad Epictet. lib. III, cap. 26, et Antholog. lib. V, cap. 12, sic αὐτάρκειαν.

15. *Quam sit* edd. Schrev. Barb. «Alii leg. *Quum sit: ego Cur sit.*» Farnab. — *Quod sit cœna mihi*. Hoc est, Ideo summo mane per urbem non discuro, quod similia mea et tua officia simili mercede non remunerentur. — Tibi enim provinciæ administrandæ habens permittuntur, mihi sportula: sportula vero, ut jam diximus, viginti quinque sestertiis æstimabatur; proconsulis salarium, imperante Augusto, jam erat plus quam decies (200 mille francs). ED.

16. *Nec mereamur*. Hoc est, nova ejusdem sententiæ παραφράσις. Neque idem præmium referamus ejusdem laboris.

XXVII.

IN SENIAM.

A LATRONIBUS esse te fututam
Dicis, Senia : sed negant latrones.

2. *Negant.* Tres esse possunt illius versiculi, illius vocis sensus; quorum quidem primus hic: Negant te impulsam, coactam ab iis, quod illa innuisse forsitan videbatur; sed is perperam. Alter: Negant deformi tibi, vetulæ tibi se vim intulisse, qua ipsi coinquinati et ridiculi evasissent; namque illa anus, illa deformis, dum querere-

tur, quodammodo gloriabatur. Vel demum, et is tertius sensus: Negant te usitato modo sese usos, aiuntque te inhonestius quippiam passam esse, ut Callistratum. epigr. xxxv, infra. E duobus his interpretationibus eligat lector; nam apta hæc et illa. Nos ultimam tamen præferimus; quippe quæ sensus nequioris, pro ingenio epigrammatum.

XXVIII.

IN CINNAM.*

POTO ego sextantes : tu potas, Cinna, deunces :
Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem.

* In hoc epigrammate sibi contrarius, Noster Cinnam quemdam refellit de hoc querentem, quod ipse sæpe irascitur fieri apud ditiores, scilicet non eodem esse convivas loco, quo dominum; et crassiores cibos, viliora vina illis apponi.

1. *Sextantes*, etc. Pocula duorum cyathorum. Cf. lib. I, epigr. xxviii, vs. 2.—*Deunces.* Pocula undecim cyathorum. Confer etiam loc. supra modo citatum.

2. *Et quereris*, etc. Tu quereris me tibi apponere deterius vinum,

quam ego bibo. Immo ego queror quod tu bibas plus quam ego. Convenimus tamen et pares sumus, quod enim ego genere, tu numero; quod ego qualitate, tu quantitate bibas. Neque vero æquum est, te bibonem haurire optimi vini amphoras. Notum vero quid olim inter convivas discrepantiæ imperaret procerum aut superbia aut avarities, et optima τοῖς ἀρίστοις reservata, dum vilissima et nullius pretii apud vulgus vocatorum relinqueretur. ED.

XXIX.

DE HERMOGENE FURE.*

HERMOGENES tantus mapparum, Pontice, fur est,
 Quantus nummorum vix, puto, Massa fuit.
 Tu licet observes dextram, teneasque sinistram,
 Inveniet, mappam qua ratione trahat.
 Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
 Casuras alte sic rapit Iris aquas.
 Nuper quum Myrino peteretur missio læso,
 Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
 Cretatam prætor quum vellet mittere mappam,

* Furem nobilem et ingeniosum sub persona Hermogenis depingit. Finxit etiam Poeta aptum furi nomen. Vid. not. subseq.

1. *Hermogenes*. Hoc est, ab Herme seu Mercurio genitus, qui nempe est furum deus: noster ergo poeta aptissimum furi hoc nomen excogitavit.

2. *Massa*. Verres novus imperante Domitiano. De eo Plinius junior l. VII, epist. ult. 4, « Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciæ Bæticæ contra Bæbium Massam; damnatoque Massa, censuerat, ut bona ejus publice custodirentur. »

5. *Cervinus gelidum*, etc. Attrahit surripitque mappas nativa quadam furacitate, non secus ac cervus naturali antipathia serpentes e latebris spiritu extrahit, cornu elidit voratque. Unde *πλαφος* Plutarcho lib. de Prud, animal. dictus ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν vel εἰλεῖν τοὺς ὄφεις.

6. *Iris*. Arcus scilicet cælestis. Aristoteles, lib. III Meteor. ὅτι μὲν οὖν ἀνάκλασις ἡ ἴρις τῆς ὀψείως πρὸς τὸν ἥλιον, φανερόν. • Quod ergo Iris sit refractio ad spectus ad solem, manifestum est », etc. Plin. lib. II, cap. 59.

7. *Quum Myrino*, etc. De quo lib. Spect. epigr. xx; hoc est, quum Myrino gladiatori missio peteretur a populo, vel ab ipso Myrino læso peteretur: læsi enim gladiatores arma submittebant, et vitam aliquando impetrabant ab Imperatore, aut a populo, dum staret respublica.

9. *Cretatam*. Signum nempe quod mittendis quadrigis dabatur in ludis Circensibus. Raderus autem ex Cedreno refert, hanc fuisse occasionem mappæ in circum mittendæ, quod magistratus, ante missionem, super fornices carcerum eo loco unde spectabant, convivium curarent, mappamque in tem-

Prætori mappam surpuit Hermogenes. 10
 Attulerat mappam nemo, dum furta timentur :
 Mantile e mensa surpuit Hermogenes.
 Hoc quoque si deerit, medios discingere lectos,
 Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
 Quamvis non modico caleant spectacula Sole, 15
 Vela reducuntur, quum venit Hermogenes.
 Festinant trepidi substringere carbasa nautæ,
 Ad portum quoties paruit Hermogenes.
 Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,

pore mappario mittendam tradere curarent.

10. *Surpuit.* Non est quod indicem Synopen hic esse pro *surrupuit*.

11. *Attulerat mappam nemo*, etc. Mappas suas ad convivia afferebant singuli, mantile convivator præbebat. Inter mappas enim et mantilia tunc temporis hoc discrimen statuebatur : ut *mantilia* mensis operiendis ; *mappæ* manibus tergendis usum præberent. Quod et nos hodiernis temporibus fieri conspiciamus : sed hæc erat nos inter et Romanos differentia quod inveniebant quidem apud dominum conviviū mensam mantili instratam ; sed unusquisque mappam suam afferebat. Quod constat vel ex hoc epigrammate Martialis in Hermogenem mapparum magnum furem. Quodam ergo die, quum furis metu nemo ex convivis mappam ad id convivium attulisset, cui ille debebat interesse, quum nihil posset mapparum surripere, mantile ipsum furatus est, quo mensa erat instrata. Hinc *mappæ breves*, eidem Martiali ἰπιθεταιῶς appellantur : « Et vani triplices, brevesque map-

pæ. » *Salmas.* — *Attulerat mappam.* Mantile vero, ait contra Raderus, linteum scilicet tergendis manibus aptum, a convivatore parabatur.

13. *Distringere* dant edd. vett. et Delph. *Diffringere* MS. in marg. ed. Paris. 1617. « *Discingere* edidit Sriverius : recte. Tamen damnat Cuper. Obs. IV, 5, reponere tentans *destringere*. Nullam causam video cur *discingere* displiceat adeo... Vides *discingere* moveri non debuisse. » *De Rooy.* — *Discingere.* Hoc est, stragula lectorum, quibus accumbebant, subripere : vel forte melius, laminas aureas vel argenteas lectis deradere.

14. *Mensarumque pedes.* Eburneos nimirum ; aut potius intellige ab Hermogene argenteas bracteas mensarum pedibus derasas fuisse, lib. VIII, epigr. xxxiii, vs. 6.

15. *Spectacula.* Spectatores in theatri.

16. *Vela reducuntur.* Lib. IX, ep. xxxix, v. 6. Vela autem colligebantur ne ab Hermogene surriperentur.

18. *Paruit Hermogenes.* H. e. Apparuit. Notandum prorsus verbum.

19. *Linigeri.* Isidis hic sacerdo-

Inter adorantes quum stetit Hermogenes. 20
 Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam:
 A cœna semper retulit Hermogenes.

tes interpretare, quorum vestes ex lino confectæ candidissimæ erant: illos *sistratam turbam* vocat, quod sinistra seu crepitacula quaterent, sacra sua celebrantes.

21. *Ad cœnam Hermogenes*, etc.

Supra, vs. 11. De eo ergo quis non gallicos versus vel imprudens efferat?

Il est du buvetier emporté les serviettes, Platôt que de rentrer au logis les mains nettes. RACINE, Les Plaideurs, acte I, scène 14.

XXX.

AD APRUM.*

SICCUS, sobrius est Aper: quid ad me?
 Servum sic ego laudo, non amicum.

* *In Aprum* edidit Barb.

1. *Siccus*. Non vinosus, non temulentis obnoxius.

2. *Servum*. Cujus ea magna dos ut nunquam catinos e mensa ferens
 « Semesos pisces tepidumque lign-

rierit jus ». Horat. Lib. I, sat. III.

ED. — *Non amicum*. Quem genio suo indulgere volo, et cui facile veniam do, etiamsi vino famulatus
 « miseram vinosus inebriet aurem ». Juven. Sat. IX, 113.

XXXI.

DE HORTIS MARCELLÆ UXORIS.*

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra supini
 Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ;

Τοῦτ' ἄλσος, κρήναι τε, καὶ ἡμερίδων τόδ' ὕφασμα
 Εὐσκιον, ἢ τ' ἐλατὴ ρύακος ὑδροχόη,

* *Uxoris* omittit ed. Barbou.

1. *Textilis umbra*. Propter palmitis cum foliis atque arborum ramis contextos.

2. *Ductile flumen*. Rivulum intellige ab aliquo vicino fonte ductum in hortos Marcellæ, vel forte aquæductum.

Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto;
 Quodque viret Jani mense, nec alget olus;
 Quæque natat clusis anguilla domestica lymphis, 5
 Quæque gerit similes candida turris aves;
 Munera sunt dominæ post septima lustra reverso:
 Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
 Si mihi Nausicae patrios concederet hortos,
 Alcinoο possem dicere, Malo meos. 10

Καὶ λειμῶν, καὶ Παιστῶ ἐρίζοντες ῥοδεῶνες,
 Χείματί τ' οὐ βίγοῦν τηλεθάον λάχανον·
 Ἐγγελυς ἐν στεγανοῖσι τιθασσεύουσα κολύμβοις,
 Ἡ τ' ὄρνεις λευκὴ τύρσις ἔχουσ' ὁμόχρους,
 Μαρκέλλης δῶρ' ἐστὶ· μεθ' ἐβδομάδας λυκαβάντων
 Πέντε, μοι ἐρχομένῳ μικρὰ τὰδ' οἰκί' ἔδω.
 Εἴ μοι Ναυσικαῖα πατρίους ἐχαρίζετο κήπους,
 Εἶπον ἂν Ἀλκινόῳ, Τούσδε προαιρέομαι.

3. *Bifero rosaria Pæsto*. Hoc est, bis in anno florenti. Vide lib. V, epigr. xxvii, 9; et Virgil. Georg. lib. IV, 119.

4. *Nec alget olus*. Nec frigore enecatur.

5. *Clusis* MS. in marg. ed. Par. 1617. — Cod. Palat. *nymphis*. — *Clusis lymphis*. Hoc est, in piscina.

6. *Veneris* Palat. pro *similes*. — *Candida turris*. Quæ candidas columbas continebat. Mos enim Veteribus, ut in candidis turribus columbarium haberent. Unde « Adspicis ut veniant ad candida tecta columbæ? » Ovid. Trist. I, eleg. IX, 7.

7. *Domino* edd. vett. et Delph. — *Reversæ* MS. Beverl. — *Dominæ*. Uxoris meæ. — *Septima lustra reverso*. Annos triginta quinque. Lu-

strum autem hic capitur, ut lib. X, epigr. xxxviii, vs. 9, pro quinque annis, ut patet ex lib. X, epigr. ciii, vs. 7. Unde ergo patet triginta et quatuor annis Poetam mansisse Romæ, et anno trigesimo quarto rediisse in Hispaniam.

8. *Dapes pro domos* MS. Beverl. — *Parvaque regna*. Vix possim credere Nostrum quin hic Virgilianæ eclogæ meminisse, in qua Melibæus: « Pauperis et tuguri congestum cespite culmen Post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas. »

9. *Si mihi Nausicae*, etc. Si mihi Alcinoi filia concederet patris sui pulcherrimos hortos. — *Nausicae*. De qua, patreque ejus, atque simul amœnissimis hortis, Homerus Odysseæ lib. XIV; et Noster, lib. IV, epigr. lxiv, vs. 29.

XXXII.

IN VACERRAM. *

O JULIARUM dedecus Kalendarum,
 Vidi, Vacerra, sarcinas tuas; vidi:
 Quas non retentas pensione pro bima
 Portabat uxor rufa crinibus septem,
 Et cum sorore cana mater ingenti;
 Furias putavi nocte Ditis emersas.
 Has tu priores frigore et fame siccus,
 Et non recenti pallidus magis buxo,
 Irus tuorum temporum, sequebaris.
 Migrare clivum crederes Aricinum.
 Ibat tripes grabatus, et bipes mensa,
 Et cum lucerna, corneoque cratere

5

10

* Vacerram divitias simulantem, mendicabulum omnibus deridendum ostendit.

1. *O Juliarum*, etc. Quo nempe tempore novas ædes conducere solebant Romani. Suetonius in Tiberio cap. 85: « Senatori latum clavum ademit, quum cognovisset sub Kalendarum Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret. »

3. *Proxima*, non pro bima, MS. Beverl. — *Quas non retentas*. Hoc est, quas conductarum a te ædium dominus pro pensione biennii, utpote viliores, pignoris loco retinere noluit.

4. *Rapta pro rufa* codex MS. Beverlandi — *Crinibus septem*. Id est, uxor tua calva.

5. *Casta* cod. in marg. ed. Par. 1617, ubi *cana* magis ad rem fa-

cere monet adnotator. — *Sorore ingenti*. Ætate scilicet, secundum Raderum; adulta autem et carente viro, secundum Domitium. *Ingenti* forte melius referas tantum ad immanem corporis proceritatem.

8. *Non recenti*. Hoc est, arido buxo pallidior.

9. *Ad rus* MS. Beverl. — *Irus tuorum temporum*. Erat ille mendicus et omnium mortalium pauperimus, de quo vide supra lib. V, epigr. XL.

10. *Clivum Aricinum*. Ubi sedent mendici, lib. II, epigr. XIX. Quasi dicat, crederes mendicos omnes ex colle Aricino, ubi frequentissimi spectantur, alio discedere.

11. *Tripes grabatus*. Vilis nimirum lectus, cui ut et mensæ deerat unus pes: mensæ enim ut plurimum tribus pedibus fulciebantur.

Matella curto rupta latere meiebat.

Focum ferentis suberat amphoræ cervix:

Fuisse gerres, aut inutiles mænas

15

Odor impudicus urcei fatebatur,

Qualem marinæ misit aura piscinæ.

Nec quadra deerat casei Tolosatis;

Quadrima nigri nec corona pulei,

Calvæque restes allioque, cepisque,

10

Nec plena turpi matris olla resina,

Summoenianæ qua pilantur uxores.

Quid quæris ædes, villicosque derides,

Habitare gratis, o Vacerra, quum possis?

Hæc sarcinarum pompa convenit ponti.

15

13. *Meiebat.* Hoc est, ex ea rupta effluebat urina. Sane potuisset Noster si non verius, at certe delicatius hyperbolas congerere. Ed.

14. *Focum virenti.* ed. *Barbou.* — *Focum ferentis.* An impositam Vacerræ, an servi capiti amphoram cui focus inerat? Videat lector. Confer. et Juvenalis Sat. III, 251. Legunt alii, « Focum virenti suberat amphoræ cervix ». Quam lectionem non intelligo.

15. *Tulisse vult de Rooy.* *Grues* cod. *Beverl.* — *Gerres.* Locustarum genus; inde minuta quædam salsamenta. Vid. lib. III, epigr. LXXVII, vs. 7.

16. *Odor impudicus,* etc. Teter; urceus olens pudenda.

17. *Vixit* de Rooy. *Vixit* legend. jubet *Beverlandus.*

18. *Casei Tolosatis.* Mali scilicet saporis. Tolosa, urbs Galliæ, satis nota his etiam temporibus.

19. *Quadrima.* Hoc est, pulegium a quatuor annis servatum, eoque

deterius, nempe cibariis rusticorum condiendis inserviebat.

20. *Calvæ restes.* Sensus est: Allia et cepæ ex funibus seu restibus pendentes, quas calvas vocat, quod cepæ sint glabræ.

21. *Maris* cod. *Beverl.*

22. *Summoenianæ.* Hoc est, meretrices. Vide quæ de illis et de loco diximus lib. III, epigr. LXXXII, vs. 2.

23. *Quid quæris.* Hoc est, inquit *Farnabius:* Quid quæris villam ruri, quasi lautiorum more per æstatem rusticaturus sis? — *Villicosque derides.* Quum solvendo par non sis.

24. *Habitare gratis.* Ipsemet exponit, ubi gratis habitare possit, in ponte scilicet cum grege mendicorum, qui nullam solvunt de ponte pensionem.

25. *Ponti.* Pontibus scilicet et tegetibus et crepidinibus, quæ mendicorum sunt stationes; vid. supra not. lib. X, epigr. v, vs. 3. *Juven. Satir. IV, vs. 116, sq.*

XXXIII.

DE LABIENO.

UT pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

1. *Labienus*. Libidinis jam argui notavimus Labienum istum epigr. XVI sup. cujus illud est initium, «Addixti, Labiene, tres agellos». Ed.

2. *Nil nisi ficetum nunc*, etc. Vide epigr. XVI, supra. Jocus est in am-

biguitate *τῶν ficus*: quum dicat, Labieno ex hortis superesse consitum ficis agrum. Intelligit pueros ex nequitia ficosos, ut lib. IV, epigr. LII, et lib. VII, epigr. LXXI, et lib. I, epigr. LXVI.

XXXIV.

AD JULIUM MARTIALEM.*

TRIGINTA mihi quatuorque messes
Tecum, si memini, fuere, Juli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris;
Sed jucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc et illuc
Diversus bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,

* *Martialem* omittunt edd. vett. Vid. lib. IX, epigr. xcvi. — Nimum usum familiarium, molestias creare, et perturbare vitæ beatæ tranquillitatem docet Noster.

1. *Menses* cod. Beverl. — *Triginta*. Quibus manserat Romæ: lib. X, epigr. civ, vs. 10.

5. *Et si calculus*. Lapidibus albis

fausti dies, nigris vero infausti notabantur: lib. VIII, epigr. xlv.

6. *Digeratur*. Hoc est, distribuatur, in hanc partem feratur et in illam.

7. *Nigricantem* Beverl. — *Vincet candida*. Plures numerabuntur dies felices, quam mœsti.

9. *Animi morsus*. Hoc est, mœ-

Nulli te facias nimis sodalem.

10

Gaudebis minus, et minus dolebis.

rorem, a quo remordetur animus. enim prospera atque adversa for-
 11. *Gaudebis minus.* Amicorum tuna nimis nos afficit.

XXXV.

AD CALLISTRATUM.

TANQUAM simpliciter mecum, Callistrate, vivas,

Dicere percisum te mihi sæpe soles.

Non es tam simplex quam vis, Callistrate, credi:

Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

1. *Tanquam.* Vis videri ingenue mecum communicare secreta tua, proinde fateri etiam vitia; sed hoc non facis ingenue: namque minus de te fateris, ut majus taceas.

2. *Prcisum* edd. vett. et Maitt. et Farnab.—*Percisum.* Hoc est, te

pati muliebria; vid. scilicet ad lib. II, epigr. LXXIII.

4. *Narrat, tacet.* In vocibus *narrat* et *tacet*, latet majus illud quod Callistratus non fatebatur vitium. Vide lib. III, epigr. LXXXIV, et hujus lib. epigr. xcv.

XXXVI.

IN LABULLUM.*

LIBRAS quatuor, aut duas amico,

Algentemque togam, brevemque lænam,

* Labullum sibi de liberalitate blandientem negat esse liberalem, quamvis omnes sui temporis avaros superet munificentia; imparrem tamen esse eum priscis Mæcenatibus vere benignis et liberalibus. Malos vincere bonitate, negat esse præclarum; sed ipsis bonis

esse meliorem, hoc pulchrum dicit. *Rader.*

1. *Libras.* Vide ad libri II epigramma XLV, vs. 5.

2. *Lænam.* Græcis dicitur *χλαῖνα*, vestis quæ togæ injicitur. — *Algentem.* Hoc est, ita tritam, ut frigus facile admittat: vel crassiorem; quæ

Interdum aureolos manu crepantes,
 Possint ducere qui duas Kalendas,
 Quod nemo, nisi tu, Labulle, donas;
 Non es, crede mihi, bonus: quid ergo?
 Ut verum loquar, optimus malorum.
 Piones, Senecasque, Memmiosque,
 Et Crispos mihi redde, sed priores.
 Fies protinus ultimus bonorum.
 Vis cursu pedibusque gloriari?
 Tigrim vince, levemque Passerinum.
 Nulla est gloria præterire asellos.

enim crassa frigus admittunt per intervalla staminum.

3. *Aureolos*. Lib. V, epigr. XIX, 14: « Qui crepet aureolos forsitan unus erit. »

4. *Duas Kalendas*. Duorum mensium diætam et victum.

7. *Optimus malorum*. Hoc est, Tu es inter avaros munificentissimus.

8. *Piones*. Quibus de arte poetica librum dedicavit Horatius. De

Crispo et Seneca supra dictum. Memmio vero suum poema dedicavit Lucretius.

10. *Ultimus bonorum*. Hoc est, Munificis his viris longe inferior eris.

12. *Tigrim, Passerinum*. Quos alii equos velocissimos fuisse, alii cursores affirmant: lib. VII, epigr. VII. — Prius ego prætulerim. Ed.

13. *Præterire asellos*. Vincere avaros, quos asellis comparat.

XXXVII.

IN NASUTUM.

NASUTUS nimium cupis videri.

Nasutum volo, nolo polyposum.

1. *Nasutus*. Irrisores dicuntur nasuti, lib. I, epigr. IV: « Et pueri nasum rhinocerotis habent. » Horatius, satir. I, VI, 5: « Naso suspendis adunco Ignotos. » Quem vide etiam lib. II, sat. VIII, 64. Sensus est: Volo urbanum et acutum,

non putidum et ineptum derisorem.

2. *Nolo polyposum*. Qui Polypo inficiatur; polyposus vero est nasi morbus, de quo Celsus lib. VI, cap. 8; qui eo morbo laborant polyposi dicuntur, quos hoc loco sumit Poeta pro putidis et rancidulis scurris.

XXXVIII.

AD CANDIDUM.

HUNC qui femineis noctesque diesque cathedris
 Incedit tota notus in urbe nimis,
 Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
 Ore tener, latus pectore, crure glaber,
 Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret:
 Non est quod timeas, Candide; non futuit.

5

1. *Femineis... cathedris.* In quibus femine sedentes, varia et ad suam rempublicam pertinentia miscent colloquia. Sic lib. III, epigr. LXIII; γυναιξίας ἑδρας Juvenalis *molles* dixit sat. VI, 91.

2. *Incedit*, forte melius legendam esset *insedit*. Nempe mollem et cinædum intelligit.

3. *Nitens, niger.* Nam nigrescebat simul et splendebat unguentis delibuta cæsaries; sicut supra, epigr. XVII, «Nigra amomo.»

4. *Glaber.* Dropace depilatus. Lib. II, epigr. XXIX, vs. 6.

6. *Non futuit.* Ipse est inter cinædos fossa pathica, vel turpius aliquid. Vid. l. II, ep. XXXIII, etc.

XXXIX.

IN SABELLUM.

ODI te, quia bellus es, Sabelle.
 Res est putida bellus, et Sabellus;
 Bellum denique malo, quam Sabellum.

1. *Sabelle.* Sabellum hunc perstrinxerat lib. VII, epigr. LXXXV, quod *belle* scripsisse epigrammata sibi visus est. Nunc illi sæpius in os regerens quod affectabat *bellum*, Sabellum pronunciat esse odio dignum, putidum, et tantum bello minorem, quantum ipse *bellus* bono

ac pulchro inferior est; illi denique exitium imprecatur.

2. *Res est putida*, etc. Lib. I, epigr. x. *Quare bene et præclare quamvis nobis sæpe dicatur*; Belle et festive *nimum sæpe nolo*, etc. Cic. III, de Oratore.

3. *Bellum denique.* Bellus enim

Tabescas utinam, Sabelle, belle!

homo vitiosus est tantum, Sabel-
lus vero est ipsum vitium, inquit
Raderus. Sed magis placet bellum
hoc loco sumi pro ipsa belli con-
tentione.

4. *Tabescas.* Ut res putida. *Belle*
potest esse quintus casus, vel ad-
verbium. — Et sane utrumque est,
et in ambiguo sensu nonnihil est
acuminis. Ed.

XL.

IN PONTILIANUM.*

MENTIRIS? credo : recitas mala carmina? laudo :

Cantas? canto : bibis, Pontiliane? bibo.

Pedis? dissimulo : gemma vis ludere? vincor.

Res una est, sine me quam facis, et taceo.

Nil tamen omnino præstas mihi : mortuus, inquis, 5

Accipiam bene te : nil volo; sed morere.

* *In Pompilianum et vs. 2, Pompi-
liane ed. Barb.* — Omni genere offi-
cii prosequutus poeta Pontilianum,
seu ut alii leg. Pompilianum, nihil
præter promissa recipiebat; pro-
mittebat autem hæreditatem, aut
ejus partem post mortem. Poeta
pro istis promissis illi mortem im-
precatur : quo simul insinuat stulte
fieri ab amico, qui sic amicum sibi
conciliet, ut conciliatus, mortem
amico exoptet. *Raderus.*

1. *Credo.* Officii causa fingo me
credere, licet sciam te mentiri. —
Credo, etc. Subservio, supparasi-
tor, secundas ago, cum Terentiano
illo Gnathone, vel Græculo Juve-
nalis, sat. III, versu 100 : « Rides?
meliore cachiuno Concutitur : flet,
si lacrymas conspexit amici, Nec
dolet : igniculum brumæ si tempore

poscas, Accipit endromidem; si di-
xeris, Æstuo, sudat. » Cf. item adu-
lator Plutarchi lib. de discrimine
amici et adulatoris, ut et Theo-
phrasti *Charact.* III et vers. Noli
etiam omittere quæ de simili argu-
mento scripsit nostras *Labruyère*,
ridiculi et morum tam vividus in-
sectator. Ed.

3. *Gemma ludere?* Hoc est latro-
nibus ludere, ut aiunt interpretes.
Vide lib. VII, epig. LXXII, 8; et lib.
XIV, epigr. xx. « Insidiosorum si
ludis bella latronum, Gemmeus iste
tibi miles, et hostis erit. »

4. *Una est sine me.* Turpicula res
quæpiam.

6. *Nil volo*, etc. Lib. VI, epigr.
LXIII; et lib. VIII, epigr. XXVII. —
Sed morere. Ut nempe promissam
mihi tuam hereditatem accipiam.

XLI.

IN TUCCAM.

NON est, Tucca, satis, quod es gulosus :
Et dici cupis, et cupis videri.

1. *Et dici cupis, etc.* Quod perditū hominis est et eximie dissoluti, velle morbum suum profiteri, neque caute agere, si non caste.

XLII.

DE CALLISTRATO ET AFRO.

BARBATUS rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus :
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.
Dos etiam dicta est : nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis ? exspectas numquid ut et pariat ?

1. *Barbatus.* Huic epigrammati ingenium et lux petatur a Juven. Sat. II. vs. 134. Vide et Tacitum lib. XV, xxxvii Annalium, narrantem quo modo Nero Pythagoræ nupsit. Novimus quoque infamem illum Adriani imperatoris Antinoum.—*Rigido Afro.* Mutoniato.

3. *Faces.* Nuptiales, quæ quinque pro numero partus naturali : vel in honorem quinque Deorum ; Jovis adulti, Junonis adultæ, Veneris, Suadelæ, Lucinæ præferbantur a pueris patrimis et matrimis apud Romanos : a sponsæ ma-

tre apud Græcos. Vide quæ Farnabius ad Senecæ Thebaida vs. 263 et 507.—*Flammea.* Flammeum erat velamentum luteum seu rubrum, quo nova nupta tegebatur pudoris gratia : vel in subjectionis symbolum ; lib. XI, epigr. lxxviii, 3.

4. *Thalasse, tibi.* Qui nuptiarum Deus adorabatur. Vide supra lib. I, epigr. xxxvi.

6. *Exspectas numquid ut et pariat.* Quasi diceret : nonne tale illud conjugium satis enorme visum est ? num oporteret etiam ut vir ex viro sobolem suscipiat ? Ed.

XLIII.

IN SABELLUM.

FACUNDOS mihi de libidinosi
 Legisti nimium, Sabelle, versus :
 Quales nec Didymi sciunt puellæ,
 Nec molles Elephantidos libelli.
 Sunt illic Veneris novæ figuræ, 5
 Quales perditus audeat fututor ;
 Præstent et taceant quid exoleti ;
 Quo symplegmate quinque copulentur ;
 Qua plures teneantur a catena ;
 Exstinctam liceat quid ad lucernam. 10
 Tanti non erat esse te disertum.

1. *Facundos*. Raro dictum de versibus : τὸ *facundus* significat vim styli multam et in enarrandis rebus aut describendis modo elegantiam elucescere, modo vividissimam eloquentiam.

3. *Didymi* vulgg. *Dydimi* vult Scaliger ad Catullum. — *Didymi sciunt puellæ*. Spintriæ nescio cujus, monstrosi.

4. *Elephantidos libelli*. Poetriæ, quæ libris suis expressit ποικίλα τῆς Ἀφροδίτης καὶ ἀκολασίας σχήματα, cujusmodi figuris et schematis cubicula sua instruxit Tiberius Cæsar. Taceo Aretini nefarias tabellas. Vide si placet quæ notavit Casaubonus ad cap. 43 Sueton. Tiberii, ex Propertio, Clemente Alexandrino, etc.

5. *Novem* Scriv. legit.

7. *Taccant quid exoleti*. An tacent

pudore inhibiti ipsi exoleti? Emphatice. dictum illud, uti lib. III, epigr. xcvi?

8. *Symplegade* Scriv. ed. haud scio, quo auctore. Schrev. In marg. ed. Langii *Qua Symplegade*. — *Symplegmate* . . . *Qua plures*, etc. Sellaris istas ac series turpiter connexorum, nimis aperte refert Suet. Tiberii, cap. 43 : Ἀφροδίτην ταύτην ἐπὶ τῇ συμπλεκῇ δεδεμένην exsecratur Clemens Alexandrinus, Πρετραπτικῶν ad Græcos.

10. *Exstinctam*. Lucerna teste vulgo concumbebant et in multiplici nequitia modo versabantur. Noster XI, civ, 6 : « Me juvat admissa rumpere luce latus. » Sed exstincta ea, minor adhuc pudoris reverentia.

11. *Tanti non erat*, etc. Non erant hæc digna quæ tanti ingenii labore illustrarentur.

XLIV.

AD M. UNICUM.*

UNICE, cognato junctum mihi sanguine nomen,
 Quique geris studiis corda propinqua meis;
 Carmina quum facias soli cedentia fratri,
 Pectore non minor es, sed pietate prior.
 Lesbia cum tenero te posset amare Catullo,
 Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
 Nec deerant Zephyri, si te dare vela juvaret;
 Sed tu litus amas : hoc quoque fratris habes.

* Unicum cognatum eo nomine laudat quod, quum illi sit « mens divinior atque os Magna sonaturum » (Horatii lib. I, sat. IV, 13) unde, si ad epicum carmen sese accinxerit, « Nil parvum aut humili modo, Nil mortale » (idem, lib. III, od. XXV, vs. 17, 18) loquatur, intra fines elegiæ sese contineat, timens scilicet ne stent sua carmina æmula fratri. *Rader.*

2. *Corda propinqua.* Hoc est, qui iisdem studiis deditus es.

3. *Carmina.* Unicus habebat fratrem qui versus heroicos componebat, a quibus pangendis se abstinerebat, ne fratri noceret. Vid. sup. Idem dixit Poeta de Turno et Memore lib. XI, epigr. x.

4. *Sed pietate prior.* Quia das ipsi primas.

5. *Tenero.* Palat. legit *cum lepidus*. Melius forsitan vulgatum *tenero*, quum neque usitata Martiali vox *lepidus* (raro enim occurrit, nempe quod sciam, tantum lib. II, epigr. XLI, 17; lib. VIII, epigr. III, 19;

lib. XI, epigr. xx, 9), neque de hominibus tunc diceretur, et *tenerum* ipsum Catullum jam vocaverit ante. lib. VII, epigr. xrv, 3, hoc versu : « Non quales teneri ploravit amica Catulli. » Ed. — *Lesbia.* Illa cujus « Turbavit nitidos extinctus passer ocellos » (Juven. sat. VI, 8.); de qua Nos ad lib. VIII, epigr. LXXIII. Ed. — *Catullo.* Poeta Veronensi nulli non noto. Videatur ad lib. I, epigr. VIII; lib. II, epigr. LXXI, et passim.

6. *Corinna.* Quam si non deperiit, simulavit certe deperiisse Naso, ad quam vel de qua scribuntur tres Amorum libri. Credidere multi hujus nomine Juliam Augusti filiam designatam.

7. *Non deerunt... juvabit* in margine ed. Langii, Par. 1617. — *Nec deerant Zephyri.* Ἀλληγορικῶς. Hoc est, Non deerat tibi grande ingenium, si carmina heroica condere voluisses.

8. *Hoc fratris.* Quum fratris causa grande tuum ingenium coerceas.

XLV.

AD PHOEBUM.

HÆDINA tibi pelle contegenti
 Nudæ tempora verticemque calvæ,
 Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
 Qui dixit caput esse calceatum.

1. *Œdina* Junt. Ald. Colin. quod vitio operarum, aut typographorum ignorantia textui illapsum est. — *Hædina pelle*. Hoc est, galericulo ex hædi pelle facto, quo utebatur imperite Phœbus ad tegendum calvitium. Vide lib. XIV, epigr. I.

2. *Calvæ*. *Calva*, pro *calvities*, *calvus vertex* sæpe sumitur. Vid. lib. III, epigr. LXXIV; lib. V, epigr. XLIX; lib. VI, epigr. LVII et LXXIV; lib. X, epigr. LXXXIII; lib. XIV, epigr. XXVI.

3. *Duxit* pro *dixit* exhibet codex

Beverland. MS. sine idoneo sensu.

4. *Qui dixit*. Hic idem cod. *crūdum*. Pro *calceatum* omnes edd. vett. *calciatum*; quod si unquam latini sermonis fuit, non erat quidem Domitiano aut Trajano imperante usitatum, sed iis tantum temporibus quum τούτο locum usurpavit in multis τὸ ἰ et dictitatum fuit *Herculius* pro *Herculeus*. — *Calceatum*. Fiant vero calcei ex pellibus, quibus quum Phœbus tegetet caput, merito calceatum hoc dici poterat, et apte cachinnis apud Romanos.

XLVI.

AD CLASSICUM.*

VENDUNT carmina Gallus, et Lupercus,
 Sanos, Classice, nunc nega poetas.

* Etsi Democritus poetas sanos, id est, mentis compotes, nec ἐνθουσιασµῶ et sacro furore correptos, excludat Helicone: quisnam tamen audet negare Gallum et Lupercum sanos esse, qui mala sua carmina pretio obtrudant hominibus procul

dubio insanioribus, qui mala emunt carmina?

1. *Gallus et Lupercus*. Mali scilicet poetæ; qui tamen quum inepta sua carmina satis magno pretio venderent, non ipsi, sed emptores insaniebant.

XLVII.

IN HABENTEM VARIOS MORES.*

DIFFICILIS, facilis, jucundus, acerbus es idem :
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Δύσκολος, εὐκόλος, εὐτράπελός θ' ἄμα καὶ πικρός ἐσσι·
Οὐ δύναμαι σὺν σοὶ ζῆν κ' ἀπάνευθε σέο.

* *In habentem varios mores* titulus vulgo legitur, neque, ut olim credidi, immutandus. Nam de amasio, non amica hic agitur, et minus Latine exprimeretur quam subauditur. Homo autem habens varios mores idem est quod nos *capriciosus* vocamus, et Græci dixere

πεικλότροπον. Et ad id notabo rectius forsitan lectum iri in initio Sapphicæ odæ ad Venerem, Πεικλότροπ' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα, pro vulgato, πεικλόθρον', κ. τ. λ. ED.

2. *Nec tecum.* Propter acerbos tuos mores. — *Nec sine te.* Propter tot alias dotes amœnas.

XLVIII.

IN LAUTUM INVITATOREM.*

BOLETOS et aprum si tanquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota : volo.

Si fortunatum fieri me credis, et hæres

Vis scribi, propter quinque Lucrina : vale.

Lauta tamen cœna est : fateor, lautissima ; sed cras

Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil,

* *Lautitias divitum captatrices* contemnit, frugalitatem laudat.

1. *Pro si tanquam* Beverl. MS. *tanquam mihi.* — *Boletos.* Quod si mihi apposueris cibos exquisitos et delicatissimos, nec superbiens nec quam delicati ii sint referens, eos

lætus accipio et edo; sin minus, non lubens cœnabo apud te. — *Vilia*, hoc est, tanquam res viles.

4. *Quinque Lucrina.* Vide lib. VI, epigr. xi, 5.

6. *Immo hodie.* Nam statim a cœna nulla superest gulæ voluptas.

Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
 Vel quicumque canis, junctaque testa viæ:
 Mullorum, leporumque, et suminis exitus hic e
 Sulfureusque color, carnificesque pedes.
 Non Albana mihi sit commissatio tanti;
 Nec Capitolinæ, pontificumque dapes.
 Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,
 Et Vaticani perfida vappa cadit.
 Convivas alios cœnarum quære magister,

7. *Damnata s. virga* in marg. ed. Laugii. — *Quod sciat infelix*. Spongia, inquit Farnabius, ligno adhærens damnata in vile ministerium, ad emundanda scilicet obscœna, ut de bestiario quodam refert Seneca epist. 70. « Nuper ludo bestiario- rum unus e Germanis, quum ad matutina spectacula pararetur, se- cessit ad exonerandum corpus. Nul- lum aliud illi dabatur sine custode secretum. Ibi lignum illud, quod ad emundanda obscœna adhærente sponsia positum est, totum in gu- lam farsit, et vi præclusis faucibus spiritum elisit. »

8. *Vel quicumque canis*. Qui nimi- rum ad vomitum accurrat. — *Jun- ctaque testa viæ*. Urnæ scilicet in triviis erant collocatæ, in quas meierent prætereuntes.

9. *Mullorum, leporumque*. Opti- morum piscium et carniū. — *Suminis*. Lib. XIII, ep. XLIV. — *Exi- tus hic est*. In has sordes abeunt et mutantur vorati pisces, lepores, et suillæ pars optima, quæ *sumen* est, hoc est, papillæ modo enixæ porcæ.

10. *Sulfureusque color*. Ex crudi- tate pallor. — *Carnificesque pedes*. Podagra. Δυσιμελοῦς Βάγκου καὶ λυ-

σιμελοῦς Ἀφροδίτης Γεννᾶται λυσιμελῆς Ποδάγρα. Anthol. cap. 43.

11. *Albana*. Lautissimum epulum quale exhibuit in monte in Quinquatriis I suæ Domitianus. *Farnabius* messatione dictum lib. I grammate v, vs. 3.

12. *Nec Capitolinæ*. Hoc epulum Jovis in Capitolio ctum, cujus meminit Vale- mus lib. II, cap. 1. — *Po- que dapes*. Lautissimæ scil lib. II, od. XIV, 26 « merc- pavimentum superbum, Po- potiore cœnis. » Et has « Macrobius lib. III, cap. 1:

13. *Imputet*, etc. Si m- Jup. largitus nectar in ra- et meriti loco numeret, n- sapiet aliud quam acetum e vino vilissimo. Gloss. autem ibi est λογίσασθαι, Gallice dicimus *mettre en compte*; et ita sæpe illius æt- ptores hoc verbum usurpar-

14. *Et Vaticani*. Vini fæx, lib. I, epigr. XIX, 2. — Vinum fugiens, aut fæx metaphorice, homo nihili.

15. *Magistratos Thuan*

Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
 Me meus ad subitas invitet amicus ofellas :
 Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

codd. — *Cœnarum magister*. Cœnæ pater, invitator, parochus. Ergo hoc loco *magister cœnæ*, non is qui *arbiter bibendi*, unde *magisteria et regna vini*, nam idem et

rex; sed potius *cœnæ pater*, mensæ rex. Macrobius lib. II, cap. I.

17. *Subitas*. Hoc est, sine apparatu conditas. — *Ofellas*. Genus quoddam farciminis.

XLIX.

AD LINUM PÆDAGOGUM.

CRINITÆ Line pædagoge turbæ,
 Rerum quem dominum vocat suarum,
 Et credit cui Postumilla dives
 Gemmas, aurea, vina, concubinos :
 Sic te, perpetua fide probatum,
 Nulli non tua præferat patrona :
 Succurras misero, precor, furori,
 Et serves aliquando negligenter
 Illos qui male cor meum perurunt :
 Quos et noctibus et diebus opto
 In nostro cupidus sinu videre,
 Formosos, niveos, pares, gemellos,
 Grandes, non pueros, sed uniones.

1. *Crinitæ*, etc. Puerorum nobilium et cirratorum pædagoge. Pueri enim, ut formosiores viderentur, comam nutrire et colere studiose solebant, qui et *cirati* ideo dicuntur a Persio Sat. I, 29.

4. *Concubinos*. Alii *concupinas*, nempe gemmas quibuscum cubabat. In eo enim est acumen epigrammatis, quod suspensum habeat lectorem, quasi esset petiturus

pueros, quum appetat solos uniones. — Perperam et scriptum et illustratum istud reor. *Concubinos* pro elegantibus et eximie formæ pueris simpliciter dictum; neque huic acumini simplicitas illa nocet quod mox ἐξ ἀπροσδοκίτου.

13. *Juniores* Beverl. MS. — *Sed uniones*. Ἀπροσδοκίτως. Expectabatur enim ut peteret pueros; petit ille uniones.

L.

IN HABENTEM AMOENAS ÆDES. *

DAPHNONAS, platanonas, et aerias cyparissos,
 Et non unius balnea solus habes;
 Et tibi centenis stat porticus alta columnis,
 Calcatusque tuo sub pede lucet onyx;
 Pulvereamque fugax hippodromon ungula plaudit, 5
 Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.
 Atria longa patent : sed nec cœnantibus usquam,
 Nec somno locus est : quam bene non habitas!

* Sapiientis esse architecti, non elegantes tantum, sed commodas ædes parare, docet.

1. *Aerias phyonas* Beverlandi MS. Ipse tamen legere vult *pityonas*, quod esset loca consita pinis, a Græco πίτυς, pinus. — *Daphnonas*, etc. Græca vox quæ laureta significat. Lib. X, epigr. LXXIX, 5. — *Platanonas*. Consitos campos platanis. Vid. ad lib. III, epigr. XIX, 2. — Nullæ vero arbores frequentius in optimatum villis et urbanis hortis disponebantur quam lauri et platani, hæc quidem umbræ gratia, illæ ob eximiam pulchritudinem et æternum virentes ramos, et quæ iis rebus vulgo conjungimus, gloriam, immortalitatem. Horatius vero, lib. II, od. xv, 4 : « platanusque cælebs Evincet ulmos . . . Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus. »

2. *Et non unius*. Tam enim ampla sunt, ut etiam publica dici possint.

3. *Et tua* edd. vett. — Revocant hæc verba Ovidianum illud, Met. II, 1 : « Regia Solis erat sublimibus alta columnis. »

4. *Onyx*. Lapis nobilis, quo strata erat domus. Quod Gallice redderemus, *Ton pied superbe foule la mosaïque étincelante*. ED.

5. *Hippodromon*. Vox est Græca, quæ significat spatium in quo de equorum celeritate certabatur. Velis adnotare quid habeat vividi et naturam imitantis versus constructio.

6. *Et pereuntis aquæ*. Fontium artificia in illa domo fuisse amœnissima intellige.

8. *Quam bene non habitas*. Cui inter hæc omnia cœnatio nulla, cubiculum nullum. Quid ergo absurdius, quam in amplissima et ditissima domo, nullum esse locum cœnandi, nullum dormiendi, quorum causa potissimum ædes ædificantur? *Ruder*.

LI.

DE FABULLO.

TAM sæpe nostrum decipi Fabullinum,
Miraris, Aule? semper homo bonus tiro est.

1. *Fabullum* edd. vett. claudicante et aptum jam nomen ferente scazone.

2. *Homo bonus* Scriverius legit; quod in textum recepit *Barbou.* — *Tiro est.* Hoc est, vir probus et

simplex semper decipitur, utpote qui aliis non diffidat; neque unquam apud vicinos reperturum se existimet quam non in se habet improbitatem.

LII.

AD SEMPRONIAM.

TEMPORA Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hic situs est, hic ille tuus, Sempronia, Rufus;
Cujus et ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,

5

Στέμμασι Πιερίοις εἰωθὼς κράτα πυκάζειν,
Ἡ πελάταις γνωστὴ γλῶσσα διωκομένοις,
Κεῖνος ὁ σὸς Ροῦφος, Σεμπρωνία, ἐνθάδε κεῖται.
Οὐ καὶ πυρσοῦται λείψανα σεῖο πόθῳ.
Τερπνὸς ἐν Ἡλυσίῳ πεδίῳ θρυλλισμὸς ἀκούεις.

* Epitaphio mortem Rufi, et Sempronis erga Rufum virum amorem et fidem celebrat, quæ rapta ab amatore rediit ad maritum, ostendens se invitam fuisse abductam, aut certe pœnituisse scelesti facti. *Rader.*

1. *Tempora Pieria.* Rufus poeta fuit, atque orator celebris, qui nempe reos defenderet.

4. *Cujus et ipse tui,* etc. Quod rapta ad Rufum sponte redierit.

5. *Narraris fabula campo.* A Ruffo tuo jam in Elysiis. Fabula au-

Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
 Tu melior, quæ deserto raptore redisti;
 Illa virum voluit nec repetita sequi.
 Ridet, et Iliacos audit Menelaus amores;
 Absolvit Phrygium vestra rapina Parim.
 Accipient olim quum te loca læta piorum,
 Non erit in Stygia notior umbra domo.
 Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas;

10

Σοῦ τε πρὸς ἀρπαγμὸν Τυνδαρίς ἐξεπλάγη.
 Νόστου δ' ἐμνήσθης σὺ τὸν ἀρπακτῆρα λιπεῦσα.
 Ἡ δ' οὐχ ἔσπετό μιν τάνδρι μετερχομένῳ.
 Ἰλιακοὺς γελῶν ἀτὲι Μενέλαος ἔρωτας.
 Τὸν Φρύγ' ἀθώωσαι δ' ἀρπαγὴ ὑμετέρη.
 Ἀλλ' ὅπότ' εὐσεβέων σὲ δεδέξεται οἶκος, ἀπάσας
 Μέλλεις τὰς ψυχὰς κεῖθι παρευδοκιμεῖν.
 Περσεφόνη πεφίληκ', οὐκ ἄλλοτρίη σφε βλέπουσα,

tem ipse Rufus dicitur, ut Horatio lib. I, od. iv, 16: « Jam te premet nox, fabulæque manes. » — *In Elysio campo*. Vide supra, lib. I, epigramm. xciv.

6. *Synthesis* pro *Tyndaris* legitur in *Scriverio*, quo auctore ambiguum. — *Et stupet ad raptus*. Id est, Helena Tyndari filia stupet te raptam sponte rediisse ad maritum tuum Rufum. Alii intelligunt Rufum non fuisse ejus maritum, sed raptorem: propter hæc verba « vestra rapina ».

7. *Fuisti* exhibet *Scriverius*.

8. *Derelicta* idem. Alii hunc vs. legunt *Noluit illa virum vel repetita sequi*. — *Illa virum*. Menelaum intellige, qui lætus audit idem marito Sempronis contigisse, quod

et ipse passus erat. Amores vero Rufi erga Semproniam *Iliacos* vocat, quia Semproniam rapuit Rufus, ut Helena rapta olim fuit a Paride, qui tamen hoc exemplo excusatur.

11. *Juga longa* *Vaticanus* ex *Virgil. Æneid. VI, 256*. — *Accipient olim*. Hoc est, quum mortua migrabis in campos Elysios, eris nota et celebris.

13. *Proserpina*. Propitia raptis, quum et ipsa a Plutone rapta fuerit. Deas vero simulat, quasi humanarum cupidinum participes, ea amare, iis favere quæ et ipsæ in deliciis habuerunt. Haud absimilis *Musæus*, qui in *Heronis et Leandri poemate* *Venerem* ait virginibus non favere, immo eas odio prosequi.

Iste tibi dominam conciliabit amor.

Ἀρπακτὰς· ὁδ' ἔρως σοὶ φιλίωσε θεάν.

14. *Conciliavit* edd. vett.—*Tibi dominam conciliabit amor.* Proserpiam tibi propitiam faciet. Non solum enim amatores amicam suam *Dominam* vocare solebant; sed et eodem nomine Augustæ et Reginæ

vocabantur. Virg. *Æneid.* VI, 397: «Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.» Tum et in universum uxores omnes sic vocantur, ut e quodam Senecæ loco intelligi potest. Turneb. lib. XXI, *Advers.* c. 6.

LIII.

IN AVARUM.*

NUMMI quum tibi sint, opesque tantæ,
 Quantas civis habet, paterve, rarus;
 Largiris nihil, incubasque gazæ,
 Ut magnus draco, quem canunt poetæ
 Custodem Scythici fuisse luci.
 Sed caussa, ut memoras, et ipse jactas,

* *In Paternum* inscriptio est in edd. vett.

— *Paternum* insectatur illiberalem et avarum, patremque appellat avaritiæ.

2. *Paterne* alii. — *Paterve, rarus.* Aut qui habet liberos, ut continet filios, et *pater fuisti*, et epigr. LXII hujus libri.

4. *Ut magnus draco.* Immanis serpens, a quo vellus aureum custodiebatur in luo Colchidis ad oras Scythiæ.

5. *Libyci* in quibusdam. *Nidi pro luci* in marg. ed. Langii.—*Scythici fuisse.* Aurei velleris fago suspensi in luo ante templum Martis. De quo Apollonius et Val. Flaccus

in *Argonauticis*; Ovid. *Metam.* lib. VII, Sen. in *Medea*; Hygin. XIV *Fab.* Apollod. lib. I, etc. Add. quoque *Nostri* lib. III, epigr. LXVII, 10. Et vide *Macrob. Saturnalium* lib. I, cap. 20.

6. *Caussa.* Malit *De Rooy*: *Sed caussa, ut memorant*, nonnulla tamen dubitatione, cujus ita mentionem facit Anonymus in epist. *Critica* «Hæsisti in hoc loco, V. C., in *Conject.* p. 77, neque mirum: corrupta illic omnia, neque interpretum quisquam facem prætulit; at destituti etiam Cod. Thuani fuerunt, qui sanitatem solus præstabit, mutatione unius literulæ: legit enim *Diræ filius es rapacitatis.* Euge vero

Diræ filius est rapacitatis.

Et quid tu fatuos rudesque quæris,
Illudas quibus, auferasque mentem?

Huic semper vitio pater fuisti.

10

et belle! lux e tenebris! Facile nunc priora restitues. Extulerat Poeta avaritiam hominis; nunc addit: «Hac caussa, ut memorant, et ipse jactas, Diræ filius es rapacitatis.» — *Sed caussa*, etc. Sed arguis filium tanquam caussam tuæ rapacitatis.

8. *Ut quid*, Scriverius in Ed. ann. 1650. *At, quid* conjicit *De Rooy*. Editor Delph. legendum censet *Ecquid*, ut lib. XI, epigr. 1, 7.

— *Et quid tu fatuos*, etc. Hoc est: An putas nos esse dementes, quos facile hac excusatione usus decipias, prætexens nempe tui filii rapacitatem?

10. *Huic semper*. Huic tuo filio omnia necessaria avare recusans caussa fuisti latrocinii et rapacitatis. Alii sic interpretantur: Tu semper fuisti pater hujus vitii, avaritiæ nimirum et rapacitatis. Judicet lector.

LIV.

IN ZOILUM.*

CRINE ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

* Vultus est index mentis, et lineamenta corporis, argumenta animi. Liberalis et honesta facies, liberalem et honestum arguit animum; prava, pravum. Fronti magna fides, aiunt physiognomones, pronunciantque, cavendum ab iis quos signavit Deus.

1. *Fronte* pro *crine* quidam codd. MS. ap. Beverland. *Luscus* vulg. pro *læsus*. — *Crine ruber*. Hoc semper in malam partem acceptum, et ut pulchritudini, ita bonæ indoli contrarium visum. Et apud nos hodie exstat tritum proverbium quo improbitatis arguuntur qui crinem rubrum habent. ED.

2. *Zoile*. De quo sæpius dictum supra ad lib. II, epigrammat. XVI, XIX, XLII, LVIII, LXXXI; lib. III, epigr. XXIX et LXXXI; lib. IV, epigr. LXXVI; lib. V, epigr. LXXIX; lib. VI, epigr. XCI; lib. XI, epigr. XXX, LIV, LXXXV, XCII, et lib. XII, epigramm. LIV. Nomen illud usurpabatur ad designandum sæpius invidum, sæpe quoque modo improbum et fugiendum virum, eum uno verbo, de quo Horatius lib. I, satira IV. vs. 85: «hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.» Lineamenta vero sive vultus, sive corporis, animi esse argumenta supra jam dictum nota prima.

LV.

AD PUELLAS.

GRATIS qui dare vos jubet, puellæ,
 Insulsissimus improbissimusque est.
 Gratis ne date; basiate gratis.
 Hoc Ægle negat, hoc avara vendit.
 Sed vendat bene, basiare quantum est?
 Hoc vendit quoque nec levi rapina;
 Aut libram petit illa Cosmiani,
 Aut binos quater a nova moneta;

1. *Puellas* in marg. ed. Langii Par. 1617.—*Dare vos*, etc. Vestri copiam facere.

4. *Hoc Ægle*, etc. Etiam basiare.

5. *Sed vendat*. Phaleucum istum cum sequenti non est videre in Palat. et nescio sane quid sibi velit: quartum servat: « Sed vendat quoque nec levi rapina », omissis intermediis. » Schrev. — *Sed vendat bene*. Quid hic versus sibi velit, se quoque nescire ait Grut. At scivit Martialis, qui posuit. Ægle negat se basiare gratis: vendit hoc quoque. Mirum; nam utcumque vendat hoc bene vel parvo pretio, an cuiquam est basiare tanti, ut id vel bene emere velit? At illa tantillum quidem bene vendit, etc. — *Bene vendere* est, meo quidem iudicio, quam maximum pretium ex re ea habere quæ venditur, quemadmodum *bene emere* est quam minimo pretio ea obtinere quæ emantur. Per hanc enim vocem *bene*, junctam τοῖν *vendere* et *emere*, quid nisi illius peritiam ex-

primimus, qui in paciscendis inercimoniis sive vendit, sive emit? quis autem callidus emptor nisi minimo assequatur, quis peritus venditor nisi maximo det? Sensus ergo hicce exoritur: At quantocumque id pretio vendat, parvo tamen vendendum est. Nam quid suaviari est? quamvis enim ἔστι καὶ ἐν κενέοισι φιλάμασιν ἀδεία τέρψις (Theocr. Oarist. Id. XXVII), jure usque subjungi id potest: Μὴ καυχῶ, σατυρίσκειν τὸ φίλαμα λέγουσιν. ED.

6. *Rapina*. *Rapit* positum est Nostro sæpe pro, extorquet, indefessa et improba efflagitatione dari cogit, quod quodammodo furtum est, vel si non furtum, certe rapina. Vid. supra, lib. XI, epigr. L: « Nulla est hora tibi qua non me, Phylli, furentem Despolies. » ED.

7. *Libram petit*, etc. Unguenti a Cosmo confecti, lib. I, epigr. LXXXVIII, libram petit Ægle, quo oris impuri fœtorem emendet. Sic infr. epigr. LXV, vs. 4.

8. *Binos quater*, etc. Octo Fla-

Ne sint basia muta, nec maligna,
 Nec clusis aditum neget labellis.
 Humane facit hoc tamen : sed unum est;
 Gratis quæ dare basium recusat,
 Gratis lingere nec recusat Ægle.

vios monetæ novæ et asperæ. — *Muta*. Aliquantulum sonent et audiantur. Theocritus, Idyll. II : καὶ ἐψιθυρίζομεν ἄμφω. ED. — *Maligna*. Quid, amabo, basia non maligna? illane intellexeris quæ et Anacreonticis (od. XIII) et Catullianis numerosiora « congerimus prope-rata, sine ordine, raptim » (Ovid. Heroid. XVIII, 113), an illa quæ, ut sequenti explicat versiculo, « clusis non aditum negent labellis »? nam maligna est, quæ cupido amanti dum dat, negat et sui impotem sic urit et torquet. Utrumque ego hic innui crediderim; sed prius magis, ne sit ob sequentis

versiculi sensum iteratio et πλεονασμός. ED.

9. *Multa* aliis adscribitur.

10. *Ne clusis* legunt alii. — *Negat*. Melius fortean *negent*. — *Nec clusis*, etc. Sic Apuleius in fragmento iambico, supposititio forsitan, quod ad illius operum calcem vulgo editur: « Olli purpurea delibantes oscula Clementi morsu rosea labella vellicent, Candentes dentes effigient suavio. » ED.

11. *Humane facit*, etc. An quia osse et ebore dentata? lib. I, epigr. LXXIII. An quia ore impura, utpote μύζουρις? lib. I, epigr. xcv, et lib. II, epigr. xv.

LVI.

IN POLYCHARMUM.*

ÆGROTAS uno decies, aut sæpius, anno;
 Nec tibi, sed nobis hoc, Polycharme, nocet.
 Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.

* Quemadmodum supra (vid. lib. VIII, epigr. LXIV) quosdam dixit sæpius in anno nasci, et natalem celebrare, uti poscerent munera natalitia; ita Polycharmum ait sæpius fingere morbum, ut postulet ab amicis ob salutis redintegrationem σωτήρια.

1. *Ægrotas uno decies*, etc. Hoc est, ægrotantem te multoties simu-

las, et lecto affixum te quereris.

2. *Nec tibi, sed nobis*, etc. Convalescenti mittebant amici pro salute recepta munera, quæ σωτήρια vocabant. Unde morbus fictus Polycharmo non nocebat, qui neque ullo laborabat dolore et quæstus multum simulatione improba colligebat, sed ejus amicis a quibus petebat soteria.

Sit pudor : ægrota jam , Polycharme , semel.

4. *Ægrotat da* Beverl. MS. — *Ægrota jam semel.* Hoc est , morere , atque uno morbo absolve tuam vitam : et argute quidem hoc

intelligit Poeta , quum videatur optare , ut semel tantum in anno ægrotet Polycharmus : lib. V , epigr. xxxix , vs. 5.

LVII.

AD SPARSUM.*

CUR sæpe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villæ sordidum petam, quæris.
Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi; negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores,
Ærariorum marculi die toto. 5
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa;
Illinc paludis malleator Hispanæ

* Exponit Sparso causas recessus in villam Nomentanam , urbanos strepitus ; qui nullam quietis partem concedunt Poetæ , vel meditando , vel conquiescendi. *Rader.*

1. *Nomenti.* De quo lib. I , epigr. cvi. Similis est huic epigrammati Juven. Sat. III. Vide etiam lib. X , epigr. lxxiv.

3. *Nec cogitandi, Sparse.* Legunt alii , *nec cogitandi spatium.* At prior lectio videtur melior.—Immo sola bona est ; namque Scazontis rhythmus imperat brevem syllabam in quarti pedis initio. *Ed.*

* 4. *Nec quiescendi In urbe locus est pauperi.* Similia expresserunt Satirici duo ; Juven. Sat. III , v. 235 : « magnis opibus dormitur in urbe. » *BOILBAU* , in Satira Sexta , cui titulus , *les embarras de Paris* :

Ce n'est qu'à prix d'argent qu'on dort en cette ville. *Ed.*

5. *Ludimagistri.* De quibus lib. IX , epigr. lxxix. — *Pistores.* Qui et ipsi molam vertebant.

6. *Ærariorum* , etc. Fabrorum æcudentium et tractantium malleoli. *Marculus* ergo a marco : *marcus* est malleus major ; dictus *marcus* , quod major sit ad cædendum et fortior : *marcellus* mediocris malleus ; *marculus* , pusillus.

8. *Neroniana massa.* Suetonius in Nerone cap. 44. « Exegitque ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum , argentum pustulatum , aurum ad obrusam. » Hoc est : Nummularii , gallice *les Banquiers* , aurum et argentum Neronis versant in suis mensis , et strepitum edunt.

9. *Illinc* , etc. *Turneb.* lib. xxx ,

Tritum nitenti fuste verberat saxum.
 Nec turba cessat entheata Bellonæ,
 Nec fasciato naufragus loquax trunco,
 A matre doctus nec rogare Judæus,
 Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
 Numerare pigri damna qui potest somni,
 Dicet quot æra verberent manus urbis,

cap. 26, legendum conjicit *balucis*. Sic enim, inquit, massas quasdam auri vocari in Hispania solere. Plin. lib. XXXIII, cap. 4. Alii legunt *paludis*, quod vocabulum, inquit ibidem, a vocis propinquitate facile deflecti potuit. Mihi quidem non satis accommodatum hic esse videtur *paludis* nomen, licet Tagi ramenta aurea interpretentur. Sic Turneb. Idem censet Salmasius. *Barbou* ex Turnebo citat *balteis*, et ex Salmas. *balneis*. Illud ergo aurum rude ex Hispania Romam afferebatur, ubi in bracteas tenuissimas extendebatur. Saxum vero tritum dicit, propter frequentem malleatoris percussionem. Farnabius retinet *paludis*, et sic explicat, hoc est, lini et setabi, quod in paludosis Hispaniæ locis seritur. Quod enim, inquit, Turnebus legit *balucis*, nullatenus convenit aureæ operæ cum fuste. Videat lector.

10. *Non vecte* Beverlandi MS. — *Tritum nitenti*, etc. Linum olim in saxo fuste ligneo, seu malleo stupario tundebar. Nam ut Plin. lib. XIX, cap. 1, inquit: *Mox arefactæ (virgæ lini) in saxo tunduntur stupario malleo*. Alii de auro extenuato in laminas et bracteas interpretantur. — Hæc revera imitatus est Nostras BOILEAU, in Satira, supra citata:

... un affreux serrurier, laborieux Vulcain,
 Qu'éveillera bientôt l'ardente soif du gain,
 Avec un fer maudit, qu'à grand bruit il ap-
 prête,
 De cent coups de marteau me va fendre la
 tête. Ed.

11. *Nec turba*. Sacerdotes intel-
 lige, qui sanguine suo Bellonæ nu-
 men placabant, et furentes vatici-
 nabantur. Lucanus, I, 565 « quos
 sectis Bellona lacertis Sæva movet »,
 etc. Bellona autem est belli Dea, et
 soror Martis nuncupatur. Si velis pe-
 nitus cognoscere quæ ad Bellonam
 illiusque ad cultum pertineant, con-
 ferre libeat Excursum *de Bellona*,
 qui subjicitur Tibullo editionis no-
 stræ, pag. 374 sqq. ubi omnia ac-
 curatissime descripta sunt. Ed. —
Entheata. ἐνθεουσιάζουσα; in (ἐν) quam
 deus (θεός), vel divinus quidam spi-
 ritus sese insinuat. Supra ipse XI,
 LXXXIV, 4: « Quum furit ad Phry-
 gios enthea turba modos. » Ed.

12. *Nec fasciato*. Juvenalis Sat.
 XIV, 302: « naufragus assem
 Dum rogat, et picta se tempestate
 tuetur. »

14. *Nec sulfuratæ*. Hoc est, non
 cessat proclamare. Vide lib. I,
 epigr. XLII, et lib. X, epigr. III.
 Lippus vero dicitur, nempe a sul-
 fure, quod semper manibus terit.

15. *Quis* cod. Beverl.

16. *Quot æra*. Quum Luna a cælo

Quum secta Colcho Luna vapulat rhombo.
 Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
 Petilianis delicatus in regnis,
 Cui plana summos despicit domus montes, 20
 Et rus in urbe est, vinitorque Romanus;
 Nec in Falerno colle major autumnus,
 Intraque limen clausus essedo cursus,
 Et in profundo somnus, et quies nullis
 Offensa linguis; nec dies, nisi admissus. 25
 Nos transeuntis risus excitat turbæ,
 Et ad cubile est Roma : tædio fessis
 Dormire quoties libuit, imus ad villam.

deducitur magicis incantationibus, lib. IX, epigr. xxx. « Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo. » Sensus est : Tot sunt manus quæ pulsant æra quibus deducitur Luna, ut numerari nequeant : ita neque somni impedimenta numerari possunt.

17. *Iolco* legendum arbitratur Heins. Ovid. II. p. 163. *Lana Beverlandi* MS. *Bombo* in marg. ed. Par. 1617. — *Colcho Luna vapulat.* Colcho, id est, magico, propter Medeam, quæ Colchis. — *Rhombō*, magico instrumento, lib. IX, epigr. xxx, vs. 9.

18. *Nescis ista*, etc. Damna omnia et urbis molestias.

19. *Pecunianis* Beverl. MS. — *Petilianis*, etc. Qui habes prætorium, id est, villam magnificam sub Janiculo, in agro quondam L. Petilii scribæ, ubi rex Numa, teste Livio, fuit sepultus. Ita Raderus. Vide lib. IV, epigr. LXIV. — *Regnis.* Regna autem dicit poeta, ut Virgilius, Eclog. I, 70 : « Post

aliquot mea regna videns mirabor aristas. »

20. *Cui plana*, etc. Vide lib. IV, epigr. LXIV, vs. 5.

21. *Vinitorque Romanus.* Quia scilicet vinea est in ipsa Urbe.

22. *Falerno colle.* Campaniæ nempe, ubi vites sunt et amœnissimæ, et optimi vini feracissimæ. Cæterum, *Autumnus* dixit Noster pro ipsa vindemia.

23. *Latus essedo alii.* *Essedo curris* Beverl. MS. — *Intraque limen.* Hoc est, intra ædium tuarum septa spatium est gestationi et cursui sufficiens. *Essedum* genus est vehiculi.

25. *Nisi admissus.* Quum aperis tuas fenestras.

26. *Stroma* idem. MS.

27. *Et ad cubile.* Tantus scilicet est ad meas fores strepitus, tantus fragor, ut tota Roma illic stare mihi videatur.

28. *Imus ad villam.* Quod sane tibi non est necessarium, qui villam ipsa in Urbe habes, et noctem in meridie.

LVIII.

AD ALAUDAM.

ANCILLARIOLUM tua te vocat uxor, et ipsa
Lecticariola est : estis, Alauda, pares.

1. *Ancillariolum*, etc. Quod ancillas sectaretur. Sed et matronæ Romæ eos dicebant ancillariolos, qui nulla nobili amica se fecerant insignes. Senec. de Benef. lib. I, 9.

2. *Lecticariola est*, etc. Quæ se prostituit servis lecticam succollantibus. Vide Turneb. lib. XXX,

cap. 26. Nescio, an mulierem istam probri et dedecoris tacite arguat. Nam in lecticis et sellis suis vehabantur quandoque bellæ illæ matronæ paulo incautius, aut potius consulto sese inspiciendas præbebant τοῖς τυχοῦσι.—*Pares*; Gallice, *vous êtes à deux de jeu*. ED.

LIX.

DE IMPORTUNIS BASIATORIBUS.

TANTUM dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reverso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.

1. *Tantum*, etc. Vide huic geminum lib. XI, epigr. xcviij.

3. *Quantum Lesbia*. Catulli de hac re versus lepidissimi omnibus ad manum sunt. Solitum autem peregre redeuntes basiis excipi, satis notum est. Hic mos antiquissimus, et Israelitis quoque usitatus. Sed in hoc osculo anim ad vertenda etiam honoris et observantiæ nota, Rabinis observata. Diu obtinuit hæc consuetudo. Sed et discedentes, aut

longius aliquod iter suscipientes, amicos osculabantur. Plinius Panegyrico : *Gratum erat cunctis, quod Senatam osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras*. Persarum etiam hæc consuetudo inter τοὺς συγγενεῖς. *Herald*. Vidend. quoque lib. VI, epigr. xxxiv, vs. 7.

5. *Hircoso premit*, etc. Fœtido, male olenti hircum axillarum. *Basiis olidissimis* dixit Petron. impuri scilicet oris.

Hinc instat tibi textor, inde fullo,
 Hinc sutor modo pelle basiata,
 Hinc menti dominus pediculosi,
 Hinc defioculusque, et inde lippus,
 Fellatorque, recensque cunnilingus.
 Jam tanti tibi non fuit redire.

7. *Basiata*. Dnm morderet luto
 putrem soleam, ut lib. IX, epigr.
 LXXIV, vs. 2.

8. *Pediculosi*. Brodæus lib. X.
 Miscel. cap. 34 legit, *periculosi*, et
 exponit laborantis lichene seu men-
 tagra.

9. *Defiolculus hinc* Beverlandi

MS. Dubito, inquit Schrevelius,
 an Salmasius correxerit *Hinc cæcis*
oculis, sed requirendum. — *Defio-*
culus. Cui defit, seu deest oculus,
 luscus.

11. *Jam tanti*. Siquidem rever-
 sus hæc eras passurus. Vide et cf.
 lib. XI, epigr. xcix.

LX.

AD SUUM NATALEM.*

MARTIS alumne dies, roseam quo lampada primum,
 Magnaque siderei vidimus ora Dei,
 Si te rure coli, viridesque pigebit ad aras,
 Qui fueras Latia cultus in urbe mihi;

* Natali suo se genialiter victu-
 rum dicit rure, quod in urbe non
 poterat.

1. *Martis alumne*. Hoc est, o Ka-
 lendæ Martiæ, quibus natus erat
 Poeta: lib. IX, epigr. LIII, et lib.
 X, epigr. xxiv. — *Roseam lampada*.
 Cave ad τὸ *siderei dei*, quod in mox
 sequuturo versu, verba ista, velut
 regimen, referas. Elegantius nam-
 que absolute id sumere pro luce,
 aurora, aut aliis quibuscumque id
 genus.

2. *Magna ora*. Centies enim et
 sexagies magnitudine superat uni-

versæ terræ globum globus solis,
 aiunt interpp. — At quis credat id
 cogitasse Martialem? Nonne re-
 ctius, si physice intelligendo *magna*,
 comparisonem intellexeris tacitam
 inter siderum nocturnorum et solis
 magnitudinem. ED. — *Siderei dei*.
 Hoc est, solem qui siderum proprie
 dictorum in numero, non in plane-
 tarum referendum. Vid. lib. Spect.
 epigr. II.

3. *Pudebit Beverlandi* MS. — *Vi-*
rides ad aras. Factas nempe ex ce-
 spite, et a romanis ornatas.

4. *Qui fueras, etc.* Quem natalem

Da veniam, servire tuis quod nolo Kalendis, 5
 Et qua sum genitus, vivere luce volo.
 Natali pallere suo, ne calda Sabello
 Desit, et ut liquidum potet Alauda merum;
 Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco,
 Atque inter mensas ire, redire suas; 10
 Excipere hos, illos, et tota surgere cœna,
 Marmora calcantem frigidiora gelu:
 Quæ ratio est, hæc sponte tua perferre patique,
 Quæ te si jubeat rex dominusque, neges?

hucusque intra urbis Romæ mœnia celebravi.

5. *Tuis Kalendis.* In sexto casu: hoc est, quod tuis Kalendis nolo in urbe occupari officiis præstandis; sed inalo rure genialiter vivere; quod in urbe fieri nequibat, ut docent sequentes versus, quos novum epigramma constituere negant multi.

6. *Et qua sum genitus, etc.* Nempe non minus die illa occupati erant in officiis vanis et antambulatio-nibus qua nati erant, quam ea qua domini natalem celebrare consueverant.

7. *Natali pallere.* In veteri codice sic distinguitur hoc epigramma a præcedenti, et lemma scribitur *de Sabello*. Sed melior videtur inscriptio quam subjecimus ex Radero, *De stulta natalis celebrandi cura*. Alaudam vero et Sabellum pro quovis obvio conviva nominavit Poeta. Hic ergo agitur tantum de nimia natalis celebrandi cura, quo die uni genio indulgendum docet Martialis; atque ita est præcedentis

epigrammatis continuatio. — *Ne calda.* De qua lib. I, epigr. XII.

9. *Cæcuba.* De quibus lib. II, epigr. XL. — *Transmittere.* Hoc est, magna præcipatione colare. Vide lib. XIV, epigr. CIV.

10. *Inter mensas ire, redire.* Sive ut Cæcubum transmittentes observaret; sive, quod in sequenti versiculo innuit, ut hos, illos exciperet triclinium intrantes et iis locum suum assignaret.

12. *Marmora.* Nudis pedibus mensæ accumbebant Veteres; sæpe etiam venientem convivam excepturi, præ nimia festinatione soleas petere nequibant, atque ita nudis pedibus calcabant marmora, quibus strata erant cœnacula. — *Credideris,* notam illam legens, exsurgere una omnes convivas ad eum excipiendum qui ingrediebatur: sed immerito; nam surgebat solus dominus.

13. *Quæ ratio est.* Quam verniliter, immo præpostere facis hoc convivator, rex et dominus, quod non faceret conviva et cliens?

LXI.

DE LIGURRA.*

VERSUS, et breve vividumque carmen,
 In te ne faciam times, Ligurra;
 Et dignus cupis hoc metu videri:
 Sed frustra metuis, cupisque frustra.
 In tauros Libyci fremunt leones; 5
 Non sunt papilionibus molesti.
 Quæras, censeo, si legi laboras,
 Nigri fornicis ebrium poetam;
 Qui carbone rudi, putrique creta
 Scribit carmina, quæ legunt cacantes. 10
 Frons hæc stigmatè non meo notanda est.

* Læserat quispiam ineptus et insulsus versificator poetam, eo tantum fine, ut irritaret in se Martialem ab eoque nominatim refutaretur. Poeta negat se gry dicturum in eum, quem contemnerent omnes, sibi prorsus imparem ingenio et carmine: quod genus contumeliæ gravissimum est, non videri dignum, quem ultum eas. *Rader.*

1. *Ut cod. Beverl. et lividum.* — *Vividumque carmen.* Vide lib. VI, epigr. LXIV. Sic et lib. XI, epigr. XLII: « Vivida quum poscas epigrammata, mortua ponis, etc. »

4. *Metuis cupisque.* Hoc est, metuere te simulas, cupis revera.

5. *Fremunt.* Hoc melius censet Schrevel. *Ruunt* edd. vett. et Farnab. — *In tauros Libyci fremunt leones.* Hoc est, in feras minores non sæviunt leones, et quidem generosiores. Sic Poeta se leoni, Li-

gurram autem papilioni comparat.

7. *Si laboras. Si cupis.*

8. *Servium pro ebrium* habet codex Thuan. — *Nigri fornicis.* Hoc est, obscuri loci et vilis notæ poetam quæras.

9. *Qui carbone rudi.* Carbonis aut cretæ nota citissime evanescit: sic obscuri poetæ carmina citissime pereunt. BOILEAU, *Art poétique*, ch. I.^{er}:

... tel autrefois qu'on vit avec Faret
Charbonner de ses vers les murs d'un cabaret.

10. *Quæ legunt cacantes.* Quæ mandentur Deæ Cloacinæ. Qualia *Tanusii Annales Senecæ* habentur, et *Catullo Annales Volusi cacata charta.*

11. *Frons hæc.* Id est: Servilis tua frons non est digna, cui ego imprimam victuri carminis notas. Vide lib. VI, epigramm. LXIV. — *Stigmatè.* Innuvit notam, quam ad infamandum virum carnifex inurit.

LXII.

AD SATURNUM PRO PRISCO TERENTIO.*

ANTIQUI rex magne poli, mundique prioris,
 Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
 Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
 Scissa nec ad Manes, sed sita dives humus;
 Lætus ad hæc facilisque veni solemnia Prisci 5
 Gaudia, quum sacris te decet esse tuis.
 Tu reducem patriæ sexta, pater optime, bruma
 Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
 Cernis ut Ausonio similis tibi pompa macello
 Pendeat, et quantus luxurietur honos? 10
 Quam non parca manus, largæque nomismata mensæ,
 Quæ, Saturne, tibi pernumerentur opes?

* Prisco Terentio post annum sextum, ipso Decembri in patriam Hispaniam reduci epulum exstruitur, ad quod Poeta Saturnum invitat; et rogat, ut Prisco sæpe revocet Saturnalia, diuque illi ævum proroget. *Rader.*

1. *Antiqui*, etc. Saturne, sub quo aurea illa ætas, segura, innocens, quieta, etc. Et *Antiqui poli regem* appellat Saturnum, quod Saturnus aute Jovem cælo imperitaverit, a Jove filio postea exsutus imperio, et deturbatus.

2. *Somno pro Sub quo* cod. Beverland. — *Pigra quies.* Aureum quippe Saturni sæculum fuisse canunt poetæ.

3. *Digni Palat.* — *Nec fulmine digna.* Scelera enim tunc non perpetrabantur digna fulmine; necdum

erant opes repertæ, sed in visceribus terræ aurum atque argentum erant recondita.

4. *Scissa*, etc. Ad eruendum ex visceribus terræ imaque Manium setle = ferrum ferroque nocentius aurum. Ovid. *Metam.* lib. I, 141.

7. *Tu reducem patriæ.* Nempe post sexennium, mense Decembri, ab urbe Roma in Hispaniam reversus est Priscus.

8. *Pacifici Numæ.* Qui nulla bella gessit, sed totum se populumque religionibus dedit et obstrinxit.

9. *Pompa.* Hoc est, apparatus carnis tantus est in Hispania ad celebranda Saturnalia, quantus in Romæ ipsius mœnibus.

11. *Quanti pro Quam non MS.* Beverl. — *Largæque nomismata.* Hoc est, quam multa pecunia impenda-

Utque sit his pretium meritis, et gratia major,
Et pater, et frugi sic tua sacra colit.

At tu sancte tuo sic semper amere Decembri;
Hos illi jubeas sæpe redire dies.

tar, Saturne, in tuum honorem.

13. *Utque sit his pretium.* Sic in MS. marg. ed. Par. 1617. — *Ut sit his* edd. vett. — *Utque sit his pretium.* Sensus est: O Saturne, ut tibi gratior sit hæc celebritas, ipse pater Prisci, vir tamen parcus, laute colit tua Saturnalia.

15. *Tuos Decembres* cod. Beverl.

In lemmate huj. ep. pro Prisco Terentio omittunt edd. vett. et Delph. et pro eo dat in reditu Prisci Terentii ed. Barbou.

16. *Hos illi.* Nempe Prisco, aut ejus patri, concede vitam longævam, cujus per spatium possit iterum atque iterum diei illius reditu et celebratione frui.

LXIII.

AD CORDUBAM.*

UNCTO Corduba lætior Venafro,
Histra nec minus absoluta testa,
Albi quæ superas oves Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore vivo;
Dic vestro, rogo, sit pudor poetæ,

* *De malo poeta* MS. in marg. ed. Par. 1617.

— In Cordubensem poetam, et malum, et furem carminum suorum scribit; rogatque Cordubam, ut suum clientem moneat, ne aliena pro suis recitet. *Rader.*

1. *Corduba.* Urbs Hispaniæ ad Bætim, ferax olearum, quam laudat, civem ejus vituperaturus: unctum autem appellat Venafrum ab oleis, quæ in Venafrano Campaniæ agro nascuntur optimæ.

2. *Lustra* cod. Beverl. — *Histra.*

Histria est Italiæ terminus Illyrico ad ortum confinis, oleis abundans. Vide Plinium lib. XV, cap. 2.

3. *Soles pro oves* Beverl. — *Galesi.* Italiæ fluvius est ad Tarentum, ubi oves lanam habebant candidissimam: lib. II, epigr. XLIII.

4. *Nullo murice.* Bæticarum enim ovium lana nullo fuce imbuta, sed nativo colore erat tincta; quod leges epigr. c, infra.

6. *Si pro sit* aliter legitur. — *Dic.* Corduba, dic tuo civi et clienti, malo poetæ.

Ne gratis recitet meos libellos.
 Ferrem, si faceret bonus poeta,
 Cui possem dare mutuos honores :
 Corrumpit sine talione cælebs ;
 Cæcus perdere non potest quod aufert.
 Nil est deterius latrone nudo,
 Nil securius est malo poeta.

10

7. *Nec Palat.* — *Gratis recitet,* etc. Impune. Cui nulla vel mala scribenti carmina non possum ego referre gratiam, illius recitans cum honore, ut ille mea.

9. *Cui possem.* Ejus quippe versus pro meis canendo, parem ipsi laudem impertirer.

10. *Corrumpit sine talione cælebs.* Cælebs; metaphora, nihil scribens. — Non translatio est, sed comparatio: nec *cælebs* nihil scribens, sed qui non habet uxorem. Is adulterat (hoc enim est *Corrumpit*) sine ta-

lione, ita ut par pro pari ei reddi non possit; caret enim uxore, quæ vicissim corrumpatur. *Gronov.* — *Sine talione.* Vindicta parili.

11. *Cæcus perdere, etc.* Non possis lege talionis agere cum cæco, qui alteri oculum eruerit.

12. *Nudo....malo poeta.* Cui nihil est quod vicissim auferas. Cordubensem furem cum cæco et latrone comparat ignominiosis similitudinibus, ut acrius mordeat.

13. *Nil securius est.* Nam inepti poetæ carmina quis furetur?

LXIV.

DE CINNA.*

VINCENTEM roseos facieque comaque ministros
 Cinna coquum fecit: Cinna gulosus homo est.

* Nihil hic varietatis produnt sive membranæ, sive libri prælo excusi.

1. *Roseos.* Ut et *sidereos*, *roseos* epitheton est solemne ad eximiæ formæ juvenes et pueros.— *Coma.* Diximus jam coma longa distingui

pueros; neque hac eos ante spoliari quam inter viros admitterentur.

2. *Cinna gulosus.* Qui ut gulæ suæ satisfaceret, sustinuit tantam pueri pulchritudinem violare nigra culinâ, ut jam dixit de Theopompo: lib. X, epigr. LXVI.

LXV.

DE PHYLLIDE.*

FORMOSA Phyllis nocte quum mihi tota
 Se præstitisset omnibus modis largam,
 Et cogitarem mane quod darem munus,
 Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram,
 An Bæticarum pondus acre lanarum,
 An de moneta Cæsaris decem flavos;
 Amplexa collum, basioque tam longo
 Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum,
 Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

* Puellam ridet quæ quum et elegantia formæ et mobili morum procacitate multas superaret vel fastosissimas, et eo nomine multa ab amantibus potuisset, immo debuisset flagitare, vili mercede contenta est, nec se justo æstimavit. Cogitabat nempe lectum relicturus poeta qua muneris magnificentia gratum animum testaretur, et lauta, magna, opulenta animo volvebat, quum illa parvulum quid, immo nihil submissee rogat. Id vero maxime ridendum, quum, ut meretriculæ omnes, avida sit mercedum, præproperea eam rogatione quæ daturus ille erat amittere. Ed.

2. *Omnibus*, etc. Nil negantem, lib. IV, epigr. XII.

4. *Cosmi*, etc. Libram unguenti a Cosmo, seu Nicerote myropolis confecti.

5. *Pondus acre*. Sic MS. in marg. ed. Par. 1617. *Ære* edd. vett. et Delph. *Octo* ed. Farnab. Vid. Not. inf. *Decem Flavos* ed. Farnab. — *Bæticarum pondus*. Vid. de Bætica-

rum lanarum excellentia quæ ad lib. XIV, epigramm. CXXXIII. — *Pondus octo lanarum*. «Si toleramus lanarum, accipiendum est pro certi ponderis glomere lanæ: ut quum Seneca dicit *multa millia frumenti*, ubi intelligimus, modiorum. Sed Pircheimeri codex, ut Anglic. et Palat. Gruteri *acre*: alluduntque eodem, in quibus est *ære*. Et videtur eleganter dici posse pro exacto, cui nihil desit: ut et *acerbum* accipere solent. Itaque huc inclino. Sequenti versu *Flavos* dici pro Flaviis contra morem Romanum est. *Flavi* sine dubio dicuntur aurei ob colorem.» Gronovius.

6. *Flavos*, etc. Flavios vulgo explicant ex moneta Domitiani; sed vid. not. præced.

7. *Basioque tam longo*. Sic lib. XI, epigr. CIV: «Basia me capiunt blandas imitata columbas.»

9. *Rogare cœpit*, etc. Vinosa mulier. *Digna est concubitus quoslibet illa pati*, Ovid. Art. III, 376.—Non is, si statuerim, sensus. Vid. not. prim.

LXVI.

AD AMOENUM.*

Bis quinquagenis domus est tibi millibus empta,
Vendere quam summa vel brevior cupis.

Arte sed emptorem vafra corrumpis, Amœne,
Et casa divitiis ambitiosa latet.

Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.

Argentum atque aurum non simplex Delphica portat;
Stant pueri, dominos quos precer esse meos.

* Fraudulentum venditorem describit, qui deceptus, male materiata domum, centum millibus HS. emerat, quam vel quinquaginta venditam cupiebat. Is ergo ut emptori fumum venderet, aurea argenteaque suppellectili domum ornavit, illamque ducentis millibus aestimavit. Poeta ait, vili instructam domum vendi; sed vacuum caro nimis. Ædes autem non erat cum ornamentis venditurus Amœnus, sed vacuas: ornamenta apposuit, ut objiceret escam emptori. Rader.

1. *Bis quinquagenis.* Nempe millibus sestertium. Quod quid efficiat Gallicæ monetæ si nosse velis, ad calcem volum. primi tabulas monetarum. ED.

2. *Corrumpis.* Hoc est, deludis, vitias, ad falsam domi aestimationem trahis.

4. *Licet* cod. Beverl. — *Et casa divitiis*, etc. Et domum nullius per se pretii instruis pretioso ornatu, quo sit venalior.

5. *Gemmantes prima.* Primam te-

studinem intelligit Raderus, atrium, et vestibulum ædium, ubi ponebantur lecti geniales. Horatius, I, 1, 87: «Lectus genialis in aula est.» Forte melius intelliges lectos ornatos testudine prima, hoc est, omnium pretiosissima: gemmantes vero dixit, quod gemmis essent locupletati illi tori, vel quod essent pavonini. Vide lib. XIV, epigramm. LXXXV, et lib. III, epigr. LVIII, «Gemmeique pavones.»

6. *Et Maurusiaci.* Et mensæ citreæ pretiosissimæ ex Mauritania, de quibus lib. II, epigr. XLIII. Horatius lib. II, od. XVIII, vs. 3, 4 et 5: «Non trabes Hymettisæ Premunt columnas ultima recisas Africa.»

7. *Non simplex Delphica.* Hoc est, ornata laminis auri vel argenti. Delphicæ mensæ, inquit Heraldus, marmoreæ erant, ut colligere est ex Cicerone lib. VI, in Verrem. Cujacius, lib. X Observationum, cap. 13, de Delphicis agens probat fuisse abacos ex quibus vina ministrarentur.

8. *Dominos*, etc. Amasios nem-

Deinde ducenta sonas, et ais, non esse minoris.

Instructam vili vendis, Amœne, domum.

pe pueros, ut amica dicitur *domina*.

9. *Sonas*, etc. Poscis pretium.

10. *Instructam vili*. Sensus est :
Equidem, o Amœne, domum sic
instructam et magnificentia tali un-

dique explendescentem vili pretio
vendere videris; sed quum omnem
supellectilem atque ornatum su-
blaturus sis, et vacuum traditurus,
nimis cara est tua domus.

LXVII.

IN NATALEM MARONIS.*

MALE Mercurium creastis Idus.

Augustis redit Idibus Diana.

Octobres Maro consecravit Idus.

Idus sæpe colas et has, et illas,

Qui magni celebras Maronis Idus.

* *De idibus Maii* habuere. edd. vett. omnes et Delph. *In natalem Virgilii* ed. Barb.

— Celebrat natalem Virgilii, et eundem celebrantibus optat mille natales.

1. *Maiæ*. Ausonius Idyllio de feriis Romanis: « Et medias Idus Maii, Augustique recursu Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat. » — *Creastis Idus*. Edidistis in lucem, natalitias estis. Nusquam tamen legitur Idus Maias natalitias fuisse Mercurio. Sed quod eo die, Mercurio templum haud procul a Circo maximo dedicatum a veteribus Romanis, A. U. C. cclix, ipso Livio teste. Templi autem dedicatio natalis erat numinis. Vide Turneb. *Advers.* lib. II, cap. 11, et lib. XXV, cap. 24. — Idus vero est

dies mensis vel tertius decimus vel quintus decimus, et ita dicebatur ab Etrusco vocabulo *iduarè*, quod idem sonabat ac dividere; dividebatur enim sic mensis in duas fere æquales partes. Erant ergo *Maias Idus*, le 13 mai; *Augustæ Idus*, le 15 août; *Octobres Idus*, le 15 octobre. ED.

2. *Diana*. Natalis Dianæ.

3. *Octobres Maro*, etc. Natus est Virgilius Idibus Octobris. Donat. et Probus Gramm. De Virgilii vita si quis ampliora cognoscere velit, conferat Editionem nostram hujus latinorum poetarum principis, vol. VII, pag. 265 et sqq. ED.

4. *Idus sæpe colas*. Hoc est, Diu vivas, et sic possis colere Idus Mercurii et Dianæ, qui Virgilii natalem colis.

LXVIII.

AD CLIENTES.*

MATUTINE cliens, Urbis mihi causa relictæ,
 Atria, si sapias, ambitiosa colas.
 Non sum ego causidicus, nec amaris litibus aptus;
 Sed piger, et senior, Pieridumque comes.
 Otia me somnusque juvant, quæ magna negavit
 Roma mihi: redeo, si vigilatur et hic.

* Poeta non desiderat officiosos, vel patrocinium implorantes clientes, quos ait se fugisse etiam Romæ, quam et ipsam clientium causa reliquerit. *Rader.*

1. *Matutine cliens.* Salutationis vel patrocinii causa me summo mane visens.—*Urbis mihi*, etc. Cujus importunitatem ut omnino effugerem, ipse ex urbe Roma in hanc provinciam solitudinem profugi.

2. *Atria ambitiosa.* Divitum, quibus ad honorem gradus est clientium turba.

5. *Negabas* cod. Beverl. *Negabit* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Otia me somnusque*, etc. Vid. supra, lib. XII, epigr. LVII.

6. *Si vigilatur et hic.* Romam, inquit, sum rediturus, si nec Bilbili per clientes importunos mihi liceat dormire.

LXIX.

AD PAULLUM.*

Sic tanquam tabulas, scyphosque, Paulle,
 Omnes archetypos habes amicos.

* Paullum avarum ait ornari ab amicis, sed amicos non a Paulo. Quemadmodum antiqua opera poculorum et tabularum ornant quidem dominum, sed a domino nihil accipiunt: ita amici a Paulo nihil beneficii accipiebant. *Rader.*

2. *Archetypos.* *Archetypus* prima

est forma, ex qua exprimuntur simulacra; ab ἀρχή, principium, et τύπος, figura et umbra, et veluti imago ac symbolum veritatis. Ergo, *archetypi* amici, per metaphoram, pro veteribus, germanis et honorificis amicis. Vide Nostrum lib. VIII, epigr. VI, 1. ED.

LXX.

DE APRO.*

LINTEA ferret Apro vatius quum vernula nuper,
 Et supra togulam lusca sederet anus,
 Atque olei stillam daret enterocelicus unctor,
 Udorum tetricus censor et asper erat.
 Frangendos calices, effundendumque Falernum

5

1. *Vacuus* edd. vett. et Delph. et Maitt. *Vanus* MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Lintea ferret Apro.* Lintea quibus Aper lotus abstergeretur. Postquam enim in balneis laverant, oleo sese perfundebant, et quandoque unguento beatiores, ac linteis postea tergebantur, quæ domo sibi afferenda curabant. Apul. *Metam.* lib. I. Sed beatiores delicatioresque ac molliores mollius tergebantur. Petronius: « Itaque intravimus balneum, et sudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus. Jam Trimalchio unguento perfusus terge batur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. » Herald. — *Vatius.* Vatius ille dicitur qui pedes extrorsus distortos habet, dum *varus* est qui introrsus distortis est cruribus. Ed.

2. *Et supra togulam.* Ne subduceretur, nec enim habebat servos qui illam custodirent.

3. *Donare: Opelicus* edd. vett. *Tereret Emporicus* MS. in marg. edit. Par. 1617; quod forte ab Emporiis, oppido Tarraconensis Hispaniæ, exortum, notante ibi viro docto. — *Atque olei.* Quum in balneis ungerentur Veteres, tam pauper erat Aper, ut nec satis olei ad

bene ungendum corpus emere posset. — *Enterocelicus*; qui enterocela laborat: enterocele autem dicitur, quum intestinum cæcum (*έντερον*) dilatatur in scrotum; epiplocele, quum omentum; hydrocele, quum in alterum e testibus humor confluit: omnes has species Latini vocabant Hernias, ut inquit Cels. lib. VII, cap. 18. Ed.

4. *Nudorum* edd. vett. et Barb. Quod sensum aptum minime efficiet. Hic enim quid ad rem, quod toto corpore nudi lavarent Antiqui? Legunt ergo melius alii *Udorum*, vino scilicet madidorum. — *Udorum tetricus*, etc. Aper lavantium luxum qui in balneis potabant, aspere reprehendebat; clamitans nempe frangendos calices, id est, non admittendas potationes. Quam multos enim istius generis invenias homines. Catones sæculi sui, virtutem laudantes, vitiis irascentes, sed qui « detestantur hæc in felicibus, eadem, si potuerint, facturi » (Sen. *Benef.* l. I, cap. 9), « et sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant. » Plin. l. VIII, *Epist.* 22. — *Pro qui modo*, forte leg. *si modo*: aut, *quod modo*.

5. *Frangendos.* Clamabat Aper

Clamabat, biberet qui modo lotus eques.

A sene sed postquam patruo venere trecenta,
Sobrius a thermis nescit abire domum.

O quantum diatreta valent, et quinque comati!

Tunc, quum pauper erat, non sitiebat Aper. 11

tollendas potationes, idcirco frangendos calices et humi mittendum merum illius equitis, qui modo lotus biberet.

6. *Biberes* exhibet codex MS. in marg. ed. Par. 1617. Lectionis autem hujus sensus est, Si tu eques, qui modo exibas e balneis, biberes. *Tyberi quod* MS. Florent. quod nullum sensum efficit. Tum quid est *Tyberi per y?*

7. *A sene*. Quum trecentos nummos sibi relictos cujusdam senis testamento accepisset. — *Nummi venere trecenti* in edd. vett. melioris notæ: *patr. ven. trec.* in aliis; quam admisimus scripturam. Quod probat sic unus Variorum: Legunt alii melius, ut opinor: « A sene sed postquam patruo venere trecenta. » Millia nempe sestertium, quæ summa longe major. — Ego tamen non satis scio an eam ob causam magis arrisuram rear lectionem novam. Nonne enim acutius quiddam et malignius poeta dicit, dum trecentos tantum nummos satis esse ait ut et sapientiam et sesquipedalia verba Censor ille obliviscatur? Ed.

8. *Sobrius a thermis*, etc. Aper modo in re tenui tam gravis censor damnatorque potationum in balneis, jam in re aliquanto lautiori mutavit animum, factus bibo ad ebrietatem. Multi sane ea reprehendunt et tristissime damnant, quæ,

si possent, lubentes facerent. Invident plerique beatis: et vitia in iis improbant, quæ ipsi, si ad beatorum gregem transcriberentur, ambitiosissime colerent.

9. *O quantum diatreta!* Sic exhibet MS. Beverlandi; quum tamen possumus errare, dum Manuscripto Beverlandi varietates tribuimus: nam « neque adeo certum habeo », ait Wernsdorfius, « eæne varietates, quibus nullam codicis notam addidit Beverlandus, soli ipsius ingenio, an cuidam MS. debeantur ». Et sic habe, Lector, de reliquis locis, ubi eum MS. notavimus. Sic legit et MS. in marg. ed. Par. 1617, quam ed. Langii aliquando vocamus. *Diatheta* ed. *Barhou*; *Diatheca* habebant edd. vett. Quod si admittas, quum *διαθήκη* testamentum sit, intellige bona relicta testamento. Turnebus qui lib. XXXII, cap. 31, cum edit. nostra et cod. MS. Beverl. legit *diatreta*, diatretos calices interpretatur clavatos, quibus nimirum insertæ sint gemmæ: alii intelligunt calices cælatos et tornatiles. Videat lector. — *Comati*. Vid. lib. I, epigr. LXXII, lib. III, epigr. LVIII.

10. *Tunc, quum pauper*. Scilicet sibi opus esse vino, opus continuis potationibus credidit dives modo factus, quod idem non credebat, quum egenus et pauper.

LXXI.

AD LYGDUM.

NIL non, Lygde, mihi negas roganti;
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

1. *Negas roganti.* Lib. XI, epigr. LXXIII. — *Lygde.* Lygdus, Lygdamus, nomina usitata hisce temporibus ad servulos elegantiores et ama-

tos a dominis pueros designandos.
2. *Nil negabas.* O nunc castissime, impurissimus fuisti. Vid. lib. IV, epigr. XII.

LXXII.

AD PANNICUM.*

JUGERA mercatus prope busta latentis agelli,
Et male compactæ culmina fulta casæ,
Deseris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parvaque sed tritæ præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas, 5
Vendere pragmaticus: nunc emis agricola.

* Pannicum causidicum, fructuosa dicendi arte deserta, agellos eminentem steriles, irridet.

1. *Prope busta.* Gallica intelligunt interpretes: ubi nempe Galli in depresso seu latente loco fuerant sepulti a Camillo deleti, vel pestilentia interempti in obsidione Romæ. Livius, lib. V, XLV.

2. *Compositæ* cod. Beverl. et cod. in marg. ed. Par. 1617.

3. *Deseris.* Forum scilicet, ex quo majores et certiores fructus, quam ex fundo empto, percipiebas.

5. *Tisnamque* cod. Bev. — *Frumentum.* Munera intellige, quibus

donabatur Pannicus: *ptisanam* interpretare hordeum ex quo sæpe fit.

6. *Pragmaticus.* Est is qui recte juris formulas novit, atque oratoribus leges et consuetudines suggerit. Juvenal. sat. VII, 123. — A Græcis sumpserunt hanc dictionem, quam nos etiam gallice, quamquam intersectam, retinemus. Nam *πραγματικὸι* græcis appellantur, quos nos praticos appellamus, chartaceos et calamarios homines. Quintil. tamen lib. II, cap. 6, *πραγματικῶς* græcis vocari *Juris interpretes* dicit. *Herald.* — *Nunc emis agricola.* Propter agri sterilitatem.

LXXIII.

AD CATULLUM.

HÆREDEM tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

2. *Nisi legero.* Hoc est, nisi mortuus fueris: tabulæ enim testamentariæ non aperiabantur, nisi mortuo testatore. Vel intellige, *nisi legero,*

tua scilicet ossa; sic tacite Catullo mortem optat, quo citius ejus bona possideat. — Præstat prior interpretatio. Vid. et cf. l. XI, ep. LXVII.

LXXIV.

AD FLACCUM.*

QUUM tibi Niliacus portet crystalla cataplus,

* Anteponit usum calicum fictilium, calicibus vitreis et crystallinis ex Ægypto allatis, propter usum et pretium vilis; minusque incommodum si frangantur, aut frangendi sint. *Rad.*

1. *Cataplus.* Sic Vat. et sic videtur legisse Calderinus. Turneb. quoque XXX, 26, sic legend. ait ut sit navigatio Ægyptiorum: nam ex Ægypto et annona et merces plurimæ Romam advehebantur. Sed *Cátastus* edd. vett. et Vitruvius lib. VIII, cap. 4, sic ait: «Ideoque transmarinos catastos emere formosos, etc.» Itaque catasti sunt pueri formosi, ut constat etiam ex Plinio lib. XXXV, cap. 18. De his noster poeta videtur agere lib. IV, epigr. XLII, 3: «Niliacis primum puer is nascatur in oris.» — *Niliacus por-*

tet. Ex Ægypto. — *Crystalla.* Calices vitreos et crystallinos. — *Cataplus.* Navigatio et navigia Ægyptiorum. Ex Ægypto vero merces istæ allatæ. Lib. XIV, epigramm. cxv. Crystalla ista quæ afferebantur Alexandrino Cataplo, non fuere vera crystalla, sed *κρυσταλλοφανῆ*, seu vitra, crystalli similitudine, quæ in Alexandria conficiebantur, et magno erant in pretio. At quæ Romæ fiebant *κρυσταλλοφανῆ*, asse venibant. Nam *ύαλευργαῖς* Romanos multa adinvenisse tradit Strabo ad facilitatem vitri conficiendi ac vilitatem. Pretiosa nihilominus habita semper, quæ in Ægypto fiebant, atque inde afferebantur. Ideo Poeta crystalla Niliaci cataplis, hoc est, *κρυσταλλοφανῆ* cum Romæ venientibus comparat, cara vilibus.

Accipe de circo pocula Flaminio.
 Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
 Munera? sed geminus vilibus usus inest.
 Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem, 5
 Et nimium calidis non vitiantur aquis.
 Quid, quod securo potat conviva ministro,
 Et casum tremulæ non timere manus?
 Hoc quoque non nihil est, quod propinabis in istis,
 Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix. 10

Calices ejusmodi vitreos, qui Romæ conflabantur, eo nomine commendat etiam Martialis, quod calidioribus aquis non vitiantur: « Nostra nec ardenti gemma feritur aqua. » At χρυσταλλοφανῆ Alexandrina non patiebantur aquam calidam. *Salmas.* Vid. *Turneb.* lib. Adv. XXX, cap. 26; et lib. X, cap. 23.

2. *Flaminio.* Ubi vendebantur fictilia, aut vitrea vasa.

3. *Hi magis.* Videtur Poeta alluisse ad calices audaces, de quibus lib. XIV, epigr. xciv: audaces vero illi vocabantur, quod specie quadam crystallina pocula imitari auderent.

4. *Gemmis pro geminus* habuere edd. vett. fere omnes, imitantibus recentiorum nonnullis; ita ut in quibusdam legatur *gemmis utilis usus*, — *Sed geminus vilibus.* Hæc nempe duo commoda vilibus poculis insunt, quod nec furem alliciant, nec aqua calida rumpantur. Qui legunt, *Sed gemmis utilis usus inest* objectionem hic credunt esse Flacci: at falso; nam gemmas magno usui esse credebant antiqui in pellendis morbis et venenis. Vid. et cf. *Plin.* XXXVII, cap. 2. Judicet lector.

5. *Toreumata.* Vasa sunt e metallo aliisve e materiis torno confecta et elaborata. Dicitur tamen magis proprie de cælaturis illis quas nos vocamus *bas-reliefs*. Talibus vero cælaturis quum sæpissime Veterum, modo ditiorum, pocula et scyphi et crateres, omnes denique omnis modi pateræ ornarentur, pro poculis, scyphis, pateris sæpissime dictum *toreuma.* Ed.

7. *Securo ministro.* At vero quum crystallina pocula porrigerent servi, ne aut convivis aut sibi e manibus exciderent valde metuebant, ita ut ex ipsa sollicitudine et cura peccarent, poculaque frangerent, non minus ac qui nimium audaces et negligentes: quod lib. XIV, cxi, docet Poeta lemmate, in epigr. sub *Crystallina*, sic puerum alloquens: « Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant Securæ nimium, sollicitæque manus. »

10. *Fuerat.* MS. in marg. edit. Par. 1617. — *Frangendus fuerit.* Quum nempe in vitreo hujusmodi poculo aliquis ore impuro et male olenti hiberit: at vero crystallinum quanquam frangi aliquando necessarium est, non sine magna jactura frangi potest.

LXXV.

DE PUERIS.*

FESTINAT Polytimus ad puellas;
 Invitus puerum fatetur Hymnus;
 Pastas glande nates habet Secundus;
 Mollis Dindymus est, sed esse non vult;
 Amphion potuit puella nasci.
 Horum delicias, superbiamque,
 Et fastus querulos, amice, malo,
 Quam dotis mihi quinquies ducena.

* *De pueris formosis* ed. Barbou.

1. *Festinat*, etc. Polytimus grandior est et exoletus.

2. *Hymnus*, de quo antea, con-
 jicit V. D. in marg. ed. Par. 1617.
 — *Invitus puerum*, etc. Vix fatetur,
 negans sibi esse voluptati.

3. *Pastas glande*, etc. Βαλανό-
 ρους, quod dixit Diogenes de cinædo
 quodam. Hic autem *glans*, seu βάλ-
 λανον, est τὸ τοῦ καυλοῦ ἄκρον. Ubi
 non pinguitudo pueri significatur;
 sed pathici effeminatique impudi-
 citia. Acumen enim sensus est in
 dictione ambigua *glande*, qua si-
 gnificatur pars obscæna genitalium
 virorum. Salse ergo dicit, eum ha-
 bere nates glande pastas: tamquam
 subactione illa præpostera concu-
 bini, veluti cibo, nates pasceren-
 tur. *Beroaldus*.—Eamdem acuminis
 nequitiam notaveris in epigrammate
 hoc Græco anonymi cujusdam: Ἄ-
 ὕς τὰν βάλανον, τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ'
 ἔραται λαβεῖν· Χ' ἂ πρὸνὰ βάλανον,
 τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ' ἔραται λαβεῖν.
 Quæ Choriambica latinis hexame-

tris si invertere placuerit, habebis:

« Hanc vorat, hancque cupit glan-
 dem sus horrida: glandem Sic vorat
 hanc meretrix, hancque vorasse
 cupit.»

4. *Mollis Dindymus*, etc. Lasci-
 vus est et nequam: sed dissimulat
 et rogari vult.

5. *Potuit puella nasci*. Formæ est
 adeo ambigæ, et ipse facilis. Haud
 multum ab hac sententia abludit
 Ausonius in lepido epigrammate de
 venusto adolescentulo: « Dum du-
 bitat natura, marem faceretne puel-
 lam, Factus es, o pulcher pæne
 puella puer.» Horat. II, od. 5, 20,
 sic de Gyge Gnidio, « Quem si
puellarum insereres choro, Mire
 sagaces falleret hospites Discrimen
 obscurum solutis Crinibus, *ambi-
 guoque vultu*. Ed.

8. *Quam dotis*, etc. Quam uxo-
 rem cum maximæ dotis modo,
 decies scilicet centenæ millibus
 sestertium. Vid. tab. monetarum,
 ad calcem primi Voluminis, ut jam
 sæpe diximus. Ed.

LXXVI.

DE AGRICOLA.*

AMPHORA vigessis, modius datur ære quaterno.
Ebrius et crudus nil habet agricola.

* *De caritate vini* edd. vett. omnes et Delph. Certe ait Flosculus, titulus male conceptus: nam de vilitate annonæ agit, quod Cic. in Verr. III, diserte explicat: « Ad incertum easum et eventum incertus quotannis labor et certus sumptus impenditur. » Annona porro pretium, nisi in calamitate maxima, non habet.

1. *Vicenis* Thuan. cod. *Vigetiis* Vat. *Vigessi* edd. Farn. et Barb. Vid. Not. infr. — *Datur ære quaterno.* Hoc est, inquit Farnabius, tam vili pretio venditur annonæ, ut malit agricola ingurgitare se ad crapulam usque et ebrietatem, quam tantulo pretio vinum et frumentum vendere. Gronovius vero intelligit bea-

tos quidem esse agricolas, quum abundant vino et frumento; at infelices, quia ex frumento et vino vendito nihil nummorum reficere possunt in tanta annonæ vilitate. Quare inscribunt, *De vilitate vini et frumenti.* Alii *De Agricola.* Eligat lector.

2. *Ebrius et crudus.* Hoc est, Agricola cœnam potentiorum captat; atque ita in magna vini et frumenti caritate, licet pauper sit, tamen semper ebrius et satur est. *Crudus* dicitur, qui nimios, quos comedit, cibos coquere nequit. Vel intellige, inquit Raderus, agricolam si vel semel potet vel cœnet lautius, ad egestatem redigi. — Prior sensus unice bonus.

LXXVII.

DE ÆTHONTE.*

MULTIS dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,

* *Ad Cethonem* Thuan. cod.

1. *Multis.* Nonne *mutis* satius foret? Sed codd. manu exarati nescimus an faveant.

2. *Stans summos.* Mos erat precantium, ut cœlum respicientes resupini, summis pedum digitis insisterent. *Domitius.*

Æthon in Capitolio pepedit.
 Riserunt comites : sed ipse Divum
 Offensus genitor trinociali
 Affecit domicœnio clientem.
 Post hoc flagitium misellus Æthon,
 Quum vult in Capitolium venire,
 Sellas ante petit Patroclianas,
 Et pedet deciesque, viciesque.
 Sed quamvis sibi caverit crepando,
 Compressis natibus Jovem salutat.

4. *Comites.* « Alii homines : recte. » Schrev. Sic cod. Beverl. manu exaratus et ed. Barb. Scriveriis.

5. *Trinociali*, etc. Quo castigaret ventrem alienis luxuriantem cœnis, quasi nulla esset ciborum captatori tristior pœna quam domi cœnare. Et quidem inops ille forsau et pauperrimus aut vilissima per triduum esurus erat, aut jejunia longa passurus.

8. *In Capitolium.* Ad salutandum Jovem.

9. *Quatridianas* cod. Beverl. — *Patroclianas.* Publicas quasdam latrinas interpretare.

10. *Vigetiesque* pro *que viciesque* Beverland.

12. *Compressis.* Æthon parasitus pedendi vitio sic laborabat, ut, licet sibi cavisset, crepitum semper comprimere cogeretur.

LXXVIII.

DE EODEM.*

ANTE Jovis statuam crepuit satur histrio : pœnam
 Jupiter indixit, vivere de proprio.

* Nesciunt, hoc saltem loco, istud epigramma edd. Ald. Junt. Colin. Barb.

— Eundem cavillatur, ut minus procaciter, sic salse magis. Cœnipe tam et pauperem arguit. Utrumque autem contumeliæ loco habendum; quum parasitus et usque et ubique spretus, et tunc Romæ

nil paupertate odiosius. Horat. lib. III, od. xxiv, 42. « Magnum pauperies opprobrium. » Tacit. Ann. « Neque illi objiciendum quidquam nisi quod maximum malorum paupertatem haberet. »

2. *Vivere de proprio.* Quum vero pauper esset iste Æthon, domi jejuna cogebatur.

LXXIX.

AD BITHYNICUM.

NIL in te scripsi, Bithynice : credere non vis,
Et jurare jubes : malo satisfacere.

2. *Et jurare jubes*, etc. De more fori, qui se jurejurando purgare recusarat, eum oportebat damnatum solvere : Poeta dicit ergo se non juraturum, et malle satisfacere. Sed et hoc ambigue : solve-re? an deprecari? an scribere aliud carmen? — Lusit elegantissime in ancipiti significatione vocis *satis-facere*. Amici offensa tollitur duobus modis : vel si fecisse negemus ; vel

si factum excusemus, et peccatum nobis condonari supplici prece petamus. Bithynicus Martialem jurare voluit non esse factum a se quod ille arguebat ; recusat poeta jurare, et ait, *Malo satisfacere*. Potest intelligi malle illum, ut hominem religiosum, deprecari culpam quam jurare. At ille aliud sentit, nempe paratum se potius fateri id cuius arguebatur. *Casaubon*.

LXXX.

AD ATTICILLIAM.*

DONAVI tibi multa, quæ rogasti ;
Donavi tibi plura, quam rogasti ;
Non cessas tamen usque me rogare :
Quisquis nil negat, Atticilla, fellat.

* In feminam avarissimam Atticillam, cui excusatum se vult quod magna etiam atque etiam flagitanti tandem abnuerit.

1. *Donavi*, etc. Notanda tibi in his duobus versiculis duo sunt, gradatio nempe et paronomasia ; cujus enim rhythmus et formæ versus prior, ejusdem est posterior.

4. *Fellat*. Transpositis literis exhibebat *fullet* MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Quisquis nil*. Lepide jocatur in Atticillam semper aliquid petentem, et hac sæpius dum peteret formula utentem, Decet te nihil negare. Adeo turpe est, inquit, nihil negare, ut idem etiam fellare significet. Vide lib. IV, epigr. XII.

LXXXI.

DE CALLISTRATO.*

NE laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

* Callistratus, ut neminem laudandum monstraret, laudabat omnes. Rem intelligit Poeta et negat verum esse iudicium, quod nec omnes sint pares, nec omnes sint boni; ita fieri, ut improbi etiam laudentur. Neque enim esset malitia, si nulla in mundo bonitas; et contra. Cui omnia alba, qui malos æque ac bonos promiscue laudat,

et indulgentia tanta utitur, arguit sese iudicii infirmi et vel livore vel adulatione præpediti. Vide quæ Chrysippus, referente Aul. Gellio, libro VI, capite 1.

1. *Ne laudet dignos.* Invidia, aut iudicii infirmitate, omnes laudabat Callistratus: boni vero tantum laudandi, atque a malis distinguendi sunt. Vid. not. præced.

LXXXII.

DE UMBRO.*

BRUMÆ diebus, feriisque Saturni,
Mittebat Umber aliculam mihi pauper;

* Notat avaritiam Umbri, qui plus pauper donarat in Saturnalibus poetæ, quam dives: pauper aliculam; dives alicam donabat. Quum vero alica crassior sit et vilior quam alicula, poeta dum laudare Umbrum videtur, carpit, ut sordidiorem factum quam olim, quum pauper fuit. Sed audi quid H. Salmuth. adferat ad Pancirol. cap. de vestibus Veterum. Taxat, inquit, Umbri avaritiam: qui olim pauper miserit aliculam; nunc dives alicam mittat. Alicula, togæ vel chlamydis

genus est; alica autem, potus ex Zea. Lib. XIII, epigr. vi, infra. Cujus tamen quum alicula videretur diminutivum, credi posset hæc illa vilior.

1. *Brumæ diebus Mittebat.* Idem fere lib. X, epigr. xiv: « Quando brevis gelidæ missa est toga tempore brumæ. »

2. *Aliculam.* Invenio, inquit Turnebus lib. XVIII, cap. xxiii, et in antiquo Vocabulario *aliculam* genus vestis esse. Lex xxiii, §. 2, ff. de auro, argento, mundo: « Puerilia

Nunc misit alicam : factus est enim dives.

(vestimenta nempe) sunt quæ ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem, veluti togæ, prætextæ, aliculæ, chlamydes, pallia, quæ filiis nostris comparamus. * Alicu-

læ, inquit Gothofredus, sunt togæ breves. Vid. quoque in not. præcedenti H. Salmuth. verba ad Panciroium. De alica vid. lib. XIII, epigr. jam cit. quæ potionis genus est.

LXXIII.

DE MENOGENE.*

EFFUGERE in thermis et circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.

Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.

Colliget, et referet laxum de pulvere follem,
Et si jam lotus, jam soleatus erit.

Lintea si sumes, nive candidiora loquetur,

* Cœnipetam ad unguem describit : unde discis, quibus artibus olim captarint adultores, clientes, et parasiti potentiorum bene olentes culinas. *Rader.*

1. *In th.* Sic MS. in marg. ed. Par. 1617. *E th.* ead. ed. cum Ald. Junt. et Farnab. *Effugere thermis.* ed. Colin. operarum incuria, ut videtur. — *Non est*, etc. Menogenes scilicet dextra juxta ac læva pilam excipiet, et tibi adscribet exceptam, velut docto artis pilæ. Pilam ergo trigonalem, non a figura ipsius pilæ; sed ludentium, et in trigono stantium appellat. *Raderus.* — *Non est.* Non licet, non potes.

3. *Trionem* MS. Beverl. — *Tepidum.* Et tepidum addit, scil. sudore ludentium madefactum. — *Lævaque.* Lib. VII, epigr. LXXII, vs. 11.

Trigonem. Pilæ genus. De trigonali pila, et de folle dictum lib. VII, epigr. jam cit. et IV, XIX.

4. *Acceptas* Palat. cod. et edit. *Barb.* — *Imputet.* Hoc est, ut excepta pila et tibi oblata aliquam apud te ineat gratiam.

5. *Laxum.* Sic habet cod. in marg. ed. Par. 1617. *Lapsum* edd. vett. et Maitt. Farnab. et Schrevel. qui, « Palat. ait, et Brit. legere *laxum* : recte ».

6. *Ero* cod. Beverl. et cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Jam soleatus.* Post lotionem soleas ponebant, quas cœnaturi deponebant. Sensus est : Menogenes e balneis exiturus remanebit sua tibi officia præstaturus.

7. *Si sumes.* Sic cod. Beverl. *Sumas.* edd. vett. et Farnab. — *Lintea.* Su-

Sint licet infantis sordidiora sinu.
 Exiguos secto comentem dente capillos,
 Dicet Achilleas disposuisse comas.
 Fumosæ feret ipse tropin de fæce lagenæ,
 Frontis et humorem colliget usque tuæ;
 Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
 Perpressus dicas tædia mille, Veni.

mebantur ad corpus post lavationem abstergendum.

8. *Situ* Palat. cod.

9. *Secto dente*. Hoc est, pectine.

10. *Coma* habent alii; sed vid. Heins. ad Ovid. Amor. I, XIV, 35.

—*Achilleas comas*. Hoc est, tuas esse flavas, et pulchras, quales Achillis comas laudat Homerus.

11. *Propin*. MS. Beverl. sed barbare — *Tropin*. Quæ est infima na-

vis pars, et hic sumitur pro vino vapido, quod est in lagenæ fundo. Hujusmodi vino utebantur Veteres, vel ad corpora abluenda in balneis, vel ad vomitum ante cœnam ciendum, inquit Raderus.

12. *Ipse pro usque ed. Barb.* quod alios legere notavit Farnab. Præstat tamen vulgata lectio. *Sux* pro *tuæ* cod. Beverl.

14. *Veni*. Ad cœnam.

LXXXIV.

DE FABIANO.

DERISOR Fabianus herniarum,
 Omnes quem modo colei timebant
 Dicentem tumidas in hydrocelas,
 Quantum nec duo dicerent Catulli,
 In thermis subito Neronianis
 Vidit se miser, et tacere cœpit.

3. *Hydrocelas*. Morbus erat ex genere enterocelarum, et idem fere quod hernia, nempe quum intestina dilabuntur in scrotum. Vide quæ fusius supra diximus, pag. 65. Ed.

4. *Quantum nec duo*. Catullus in hæc hyperbolice dicit.

5. *In thermis Neronianis*. Erant thermæ Neronianæ unum ex vastis-

simis, atque splendidissimis Romæ ædificiis. Vid. quæ de his ad lib. II, epigr. XLVIII; lib. III, epigr. XXV; lib. VII, epigr. XXXIV, notavimus. Pulchriores tamen posthac Domitianus, Caracalla, Diocletianus exstruxere.

6. *Tacere cœpit*. Quia nempe factus et ipse est herniosus.

LXXXV.

AD POLYTIMUM.

NOLUERAM, Polytime, tuos violare capillos;
 Sed juvat hoc precibus me tribuisse tuis.
 Talis eras modo tonse Pelops, positisque nitebas
 Crinibus, ut totum sponsa videret ebur.

1. *Violare.* Quasi nefarie ille ac-
 turus esset qui eos ferro rescinde-
 ret. Neque enim pars ulla, credo,
 pulchritudinis magis in pretio fuit
 Romæ, item in Græcia, apud deli-
 catos viros quam cæsaries. Neque
 usquam gentium plures cincinnan-
 di, colorandi, exstruendi capillitii
 modi. Confer. Apul. in Asin. lib.
 II, elegantior descriptio de capilla-
 menti venustate: « At vero (quod
 nefas dicere, neque sit hujus rei
 ullum tam dirum exemplum), si
 eximiae feminæ caput capillo nu-
 daveris et faciem nativa specie spo-
 liaveris, licet illa cælo dejecta, mari

edita, fluctibus educata, licet in-
 quam, Venus ipsa fuerit, licet omni
 Gratiarum choro stipata et toto Cu-
 pidinum populo comitata, et balteo
 succincta, cinnama fragrans et bal-
 sama rorans, si calva processerit,
 placere non poterit nec Vulcano
 suo, etc. » ED.

2. *Sed juvat.* Tonsis enim capillis
 lactea tua colla jam apparent, quæ
 comis tegebantur.

3. *Pelops.* Cui humerus a Cerere
 decerptus, alter eburneus a diis
 restitutus est, quem totum videre
 poterat Hippodamia, ejus uxor.
 Quæ historia satis nota,

LXXXVI.

IN FABULLUM.

PÆDICONIBUS OS olere dicis.
 Hoc si, sicut ais, Fabulle, verum est,
 Quid tu credis olere cunnilingis?

1. *Olere.* Male nempe, quamvis
 et bene aliquando significet anceps
 vocabulum. Horat. Sat. I, II, 27:
 « Pastillos Rufillus olet, Gorgonius

hircum. » Item Martialis: « Rufille,
 is male olet qui bene semper olet. »

3. *Quid tu.* Notat Fabullum turpi
 vitio. Vide lib. II, epigr. xxxi.

LXXXVII.

IN NON ARRIGENTEM.*

TRIGINTA tibi sunt pueri, totidemque puellæ;
Una est, nec surgit mentula : quid facies?

* Nulla in hujus epigrammatis scriptura exhibenda varietas in MSS. nulla in edd.

1. *Triginta*, etc. Mos enim ditioribus quibusdam tunc fuit γυναικῶν quoddam, ut privatum πορνοβοσκῶν, et quod recentiores nos *sérail*, *harem*, vocitamus, habere ad voluptates suas, quanquam numerosiores ibi forent aut pueri aut puellæ quam omnibus ipsi potiren-

tur. Et id ut Martialis ridet, pudice tamen magis et theatri tantum semilascivia, Nostras quidam in notissimo dramate, Turcarum imperatorem inducens et quam amat puellam, sic colloquentes :

.....Vous savez que j'ai cinq cents femmes. —
Cinq cents!
Mais, entre nous... cinq cents! cela m'étonne.
FAVART, *Les trois Sultans*, Acte II.

2. *Quid facies*. Quasi dicat : *Linges*. Lib. XI, epigr. xxv.

LXXXVIII.

DE COTTA.*

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, et facit turbam;
Excogitavit homo sagax, et astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum;
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

* Irridet dissimulantis Cottæ extremam inopiam.

2. *Ducit ad pedes*. Servus a pedibus is dicebatur, qui ad pedes domini accumbentis stabat, et soleas, quas dominus exsuerat (nam sine calceamentis veteres accumbebant), custodire solebat.

3. *Qui solus*, etc. Qui pauperi Cottæ unicus est servus et pro toto comitatu, pro turba quæ illustrem virum sequitur. Nam magnus comitatus clientum patronos deducebat.

6. *Excalceatus*. Hac clausula Cottæ extremam inopiam sic deridet malignus Poeta.

LXXXIX.

DE TONGILIANO.

TONGILIANUS habet nasum; scio, non nego: sed jam Nil, præter nasum, Tongilianus habet.

1. *Ego* edd. Par. 1617 et Farnab. — *Habet nasum*. Hoc primo versu *nasus* sumitur pro acumine iudicii: nam denotabat apud Veteres *nasus* acumen joci, irrisionis et dicacitatis. Lib. I, epigr. rv, vs. 6; lib. I, epigr. XLII, vs. 18, et lib. XIII, epigr. II. Sed in secundo sumitur proprie. Sensus ergo is est: Tongilianus est tam pauper, ut nihil habeat ultra nasum.

2. *Nil præter nasum*. Quod hic aiunt hunc tam pauperem ut nihil jam habeat, nihil possideat (vid.

notata præcedenter ad vs. 1), num bene intelligunt? Ego equidem dubito, et libentius statuam voluisse Martialem cœnipetam cavillari gratiosum quidem olim omnibus, at qui nunc frustra trechedipna induens « circuit et fatuos non invenit ». Ergo nasutus ille, qui ubi lautæ mensæ, magnifici apparatus, ubi « clara epula ante alias et optimus in æthere nidor » optime callet; sed frustra nasutus, sed nasum solum, unde odoretur, non epulas jam habens. ED.

XC.

AD CHARINUM.*

QUOD lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

* Hominem exagitat qui, quum calvus foret, sese infirmum alia ex parte simulabat et sic caput sibi involvebat ut credidissent facile multi auribus eum laborare, non capillorum nudatione.

1. *Quod lana, etc. Non aures...* Quasi diceretur *ex eo quod* lana caput soleas tibi alligare, non sequitur caput dolere tibi. Ergo voces

illæ duæ *quod...non eædem* sunt ac soluta oratione *quod...non ideo, quod non continuo, hoc est, ex eo quod... non sequitur*.

2. *Non aures tibi, etc.* Non adhibes focale ad muniendas aures, sed ad tegendum calvitium. Vide et quæ supra notavimus ad titulum et lib. IV, epigr. XLI. Vid. quoque lib. XIV, epigr. CXLII.

XCI.

DE MARONE.*

Pro sene, sed clare, votum Maro fecit amico,
 Cui gravis et fervens hemitritæus erat;
 Si Stygias æger non iret missus ad undas,
 Ut caderet magno victima grata Jovi.
 Cæperunt certam medici spondere salutem:
 Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

* Lepide et acerbe tangit Maronem quemdam testamenti captatorem deceptum.

1. *Cæperunt* edd. vett. et Maitt. pro *clary*, quod habet cod. Beverl. — *Ne Stygias*. Ita ut audiat senex, quem captat Maro; innuit nimirum Martialis non hæc esse vera vota captatoris, quippe qui ore tantum et labris tenuis amici salutem optat. Sic Persius, Sat. II, vs. 6. — Haud curvis promptum est murmurque humilisque susurrus Tollere de templis et aperto vivere voto. Mens luma, fama, fides hæc clare et ut audit hospes; Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: O si Phullæ patris præclarum funus! etc. — *Votum Maro fecit amico*. De morte lupus voti, vide Juv. sat. XI, vs. 98 sqq. Hæc consuetudine usi peculiariter Galli; ut observat Cæsar lib. de Bello Gall. VI. Quin et erant qui se ipsos morti offerrent, aut tutet se depugnarent, quia mortem morte redum existimabant Cæ-

terum se ipsos etiam volebant, aliquando iidem ipsi, qui ægrotabant, sodales Esculapio. Tum hæc vota signabantur in statu deorum, aliquando in porticibus, aut portis templorum: Unde *signare votum, et incerare genua deorum*, quæ pridem Magno Turnebo explicata in Adversariis. *Heraldus*.

2. *Hemitritæus*. Nominata sic a Græcis vocibus ἡμι, semi, et τρι-τῆς, tertianus. Vid. « febris est semitertiana »; lib. II, epigr. XLII.

3. *Non esset* edd. vett. *Umbras* cod. Beverl. — *Si Stygias, etc.* Si convalesceret.

6. *Ne votum solvat*. Propter quod hæres institutus fuerat a sene; hoc est, ne surgat a lecto incolumis, ne ab imminentis mortis faucibus ereptus reviviscat; aliis verbis, ut moriatur mox senex, neu hæreditatem ejus amittat. Porro acumen est quoddam in ἀντίθεσι duarum vocum, scilicet, *Ne solvat votum, Maro vota facit*.

XCII.

IN MAGULLAM.

COMMUNIS tibi cum viro, Magulla,
 Quum sit lectulus, et sit exoletus,
 Quare dic mihi non sit et minister?
 Suspiras: ratio est, times lagenam.

1. *Sit exoletus.* Hoc est, quum eodem concubino tu utaris quo maritus, atque eundem uterque ametis.

3. *Quare non sit et minister.* Cur

non et communi uterque utamini pocillatore?

4. *Times lagenam.* Times nempe venenatum poculum. Vide lib. IV, epigr. XLII, 5 et LXVIII, 3.

XCIII.

AD PRISCUM.*

SÆPE rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
 Si fiam locuples, simque repente potens.
 Quemquam posse putas mores narrare futuros?
 Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

* Fingit se interrogatum a Prisco, qualis futurus fuerit, si dii fortunatum et beatum fecissent: respondet id quidem certo neminem providere: si tamen licet ex vobis divitibus conjectare, leo essem, quia vos tales estis; tenues enim opprimitis et devoratis. Argute et salse. *Rader.*

1. *Qualis.* Hoc est, quibus moribus, quo ingenio, qua agendi et vivendi nova consuetudine.

2. *Locuples...potens.* Duas res conjunxit, quibus ut plurimum nu-

tant et vertuntur mores, summas opes et summam potestatem.

3. *Quemquam, etc.* Nam multa vitia, quæ coercet et supprimit tenuis fortuna, ampla et sublimis manifestabit: *Magistratus indicabit virum.*

4. *Si fias tu leo.* Sensus est: Leo futurus leonis naturam habiturus est, atque ita dives futurus divitis moribus usus est, nempe superbis; seu tenues et debiliores est oppressurus, et tanquam validissimus animantium leo devoraturus.

XCIV.

DE FABULLA.

QUA mœchum ratione basiaret
 Coram conjuge repperit Fabulla.
 Parvum basiat usque morionem;
 Hunc multis rapit osculis madentem
 Mœchus protinus, et suis repletum
 Ridenti dominæ statim remittit.
 Quanto morio major est maritus!

1. *Qua mœchum.* Eadem techna
 osculi in Aristæneto, l. I, epist. III.

5. *Proximus* Palat. cod.

7. *Marito* MS. in marg. ed. Par.
 1617. — *Quanto morio.* Hoc est :

Quanto stolidior est maritus, qui
 hoc artificium non animadvertat,
 vel animadvertens patiat! Sic fere
 Nostras *Lafontaine*, lib. III, fab. 1:
 Le plus âne des deus n'est pas celui qu'on pense.

XCV.

IN TUCCAM.*

SCRIBEBAMUS epos, cœpisti scribere; cessi,
 Æmula ne starent carmina nostra tuis.
 Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos;
 Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
 Fila lyræ movi Calabris exculta Camœnis;

* In æmulum Tuccam, omnia
 poetæ studia imitantem, quem ele-
 ganter monet, ut sibi tantum ea
 relinquat, quæ ipse nolit: super-
 bum esse omnia velle, quum in
 uno excellere vix possis. *Rader.*

1. *Scribepam versus* MS. in marg.
 ed. Par. 1617. — *Epos.* Carmen
 Epicum seu heroicum.

3. *Cothurnos.* Hoc est: Scripsi
 tragœdias. Vide lib. III, epigr. xx.

4. *Aptasti*, etc. Tu quoque con-
 tulisti te ad tragœdiam. *Syrma* au-
 tem tragicorum vestis est, ut lib.
 IV, epigr. XLIX, vs. 8.

5. *Doctis pro Cal.* edd. vett. et
 Maitt. Farnab. et Barb. Adi Not.
 infr. — *Fila lyræ movi.* Scripsi ly-

Plectra rapis nobis ambitione nova.
 Audemus satiras ; Lucilius esse laboras.
 Ludo leves elegos ; tu quoque ludis idem.
 Quid minus esse potest? epigrammata fingere cœpi;
 Hinc etiam petitur jam mea fama tibi. 10
 Elige, quid nolis; quis enim pudor omnia velle?
 Et si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

rica.—*Camœnis*. Quibus tandem doctis Camœnis? An quia præcedenti disticho Thalamiam appellat; aliæ sunt doctæ Camœnæ, aliæ Musæ Pierides? Muti omnes aliis visi codices, omnes editores: sed præclare Thuanorum monumentum: *Fila lyræ novi Calabria exulta Camœnis*. Quod explicabimus ex lib. V, epigramm. XII. • Varro Sophoclea non inficiande cothurno, Nec minus in Calabria suspiciende lyra. • Et Luculentius lib. VIII, epigr. XVIII; quod et ipsum nuper a scriptis codicibus cœpit integrius haberi. *Gronovius*.

— Notum autem lyricorum principem Horatium e Calabria oriundum fuisse. *ED.*

6. *Ambitiose* Palat. et cod. in marg. ed. Par. 1617. *Novem MS.* Beverl.

7. *Lucilius*. Qui primus inter Latinos poetas satiras scripsit.

8. *Elegos*. Quales sunt Tibullus, Propertius, Ovidius. *Ludere* dicuntur poetæ, quum versus leviores juvat scribere. *Virg. Eclog. I, vs. 10.*

9. *Pingere possis* Vat. cod. — *Quid minus*. Quam scribere epigrammata. *12. Palma* cod. Beverl. pro *Tucca*.

XCVI.

AD RUFUM.*

MUSÆI pathicissimos libellos,
 Qui certant Sybariticis libellis,

* *Ad Instantium R.* ed. *Barb.* sed *Ad Rufum* Ald. Junt. Colin. et *Ruffe* in medio epigr.

1. *Musæi*. Non illius sane qui eleganter satis pro sæculo de Heronis et Leandri amoribus poematum concinnavit.—*Pathicissimos libellos*. Mollissimos et nefandi argumenti;

tales fuere Elephantidos, poetrix et meretricis; epigr. XLIII supra, 4.

2. *Sybariticis libellis*. Libris abominandæ nequitix, quos scripsit Hemitheon quidam Sybarita, ut testatur Lucianus, πρὸς ἀπαίδευτων quorum meminit et Ovidius, in lib. Tristium II, Epist. ad Augustum,

Et tinctas sale pruriente chartas,
 Instanti, lege, Rufe : sed puella
 Sit tecum tua, ne Thalassionem
 Indicas manibus libidinosi,
 Et fias sine femina maritus.

417: « Nec qui composuit nuper
 Sybaritida, fugit. »

3. *Sale*. Quem putavere ad libi-
 dinem valde stimulare. Unde sala-
 citas pro impudicitia. Hor. lib. I,
 sat. II, 45, « caudamque salacem ».

4. *Instanti, lege, Rufe*. Ad hunc
 Rufum est epigramma LXVIII, lib.

VII, et epigramma LI lib. VIII.

5. *Ne, etc.* Illo scilicet e genere
 libellorum quos una tantum manu
 tenere est. — *Thalassionem*. Conju-
 gale illud. De Thalassione vide lib.
 I, epigr. xxxvi.

7. *Et fias, etc.* Ut vidimus jam
 lib. IX, epigr. XLII.

XCVII.

IN ZELOTYPAM.

QUUM tibi nota tui sit vita fidesque mariti,
 Nec premat ulla tuos sollicitetve toros;
 Quid, quasi pellicibus, torqueris inepta ministris,
 In quibus et brevis est et fugitiva Venus?
 Plus tibi quam domino pueros præstare probabo;
 Hi faciunt, ut sis femina sola viro.
 Hi dant, quod non vis uxor dare. Do tamen, inquis,
 Ne vagus a thalamis conjugis erret amor.
 Non cadem res est : Chiam volo, nolo mariscam.
 Ne dubites quæ sit Chia, marisca tua est.

2. *Ulla*. Pellex, aut alia matrona.

3. *Ministris*. Pueris quos amat
 ille, quasi id æmulatio et contu-
 melia esset.

6. *Sola viro*. Ut non utatur alia
 femina quam te.

7. *Quod non vis uxor dare*. Lib.
 XI, epig. LXXVIII: « Uxor, non puer,

ista tibi est. » — *Do tamen, inquis*.
 Vide lib. XI, epigr. XLIV, 2.

9. *Non eadem res est*. Dictum lib.
 et epigr. modo citatis. De Chia et
 marisca jam lib. VII, epigr. xxv.
 Hic autem Chiam, quæ novit pun-
 gere, de pueris dicit, mariscam
 vero fatuam de feminis.

Scire suos fines matrona et femina debet :
Cede suam pueris ; utere parte tua.

11. *Scire suos fines matrona et femina debet.* Scire debet intra quos fines contineantur sua officia ; nec eos prætergredi licet. ED.

12. *Cede suam.* Sic legend. exhib. cod. MS. in marg. ed. Par. 1617. *Sua* edd. vett. et Delph. — *Utere parte tua.* Qua femina es.

XCVIII.

IN BASSUM.*

UXOR quum tibi sit puella , qualem
Votis vix petat improbis maritus ,
Dives , nobilis , erudita , casta ;
Rumpis , Basse , latus , sed in comatis ,
Uxoribus tibi dote quos parasti :
Et sic ad dominam reversa languet
Multis mentula millibus redempta ;
Sed nec vocibus excitata blandis ,
Molli pollice nec rogata surgit.
Sit tandem pudor , aut eamus in jus.
Non est hæc tua , Basse : vendidisti.

* Bassi uxor in eum invehitur. « Te, inquit, pauperem ego grandi dote et præclaris insuper dotibus emi. Non sum ergo tua, cui possis illudere, detrahendo meam pecuniam in turpes et infidos amores; sed tu es meus, qui te mihi vendideris. » ED.

2. « *Improbis* melius legas. » Marg. ed. Par. 1617. *Improbis* edd. vett. — *Improbis.* Maritus qui suis votis non ponat modum, gallice *exigeant*.

4. *Rumpis latus.* Venereo scilicet opere. — *Comatis.* Pueris, amasiis. Lib. II, epigr. LVI, et lib. III, epigr. LVIII, 31.

8. *Vocibus blandis.* « Gannitus et

subantis vocolas » intelligit, quales ψυχῆ καὶ ζωῆ, μέλι μου, etc. Vid. nos ad lib. X, epigr. LXVII, 5.

9. *Molli.* Blando, ut Ovid. Amor. lib. III, eleg. VII, 74. « Molliter admota sollicitasse manu. »

10. *Sit tandem pudor*, etc. Hæc sunt derelictæ conjugis verba, qua divortium infideli et invalido minuitur. Quod Juvenalis expressit sat. IX: « Tabulas quoque ruperat (uxor) et jam Signarat, tota vix hoc ego nocte redemi... testis mihi lectulus, etc. » ED.

11. *Vendidisti.* Uxori diviti, nomine dotis quam tibi attulit. Vide supra analysis. ED.

XCIX.

AD BÆTIM.*

BÆTIS olivifera crinem redimite corona,
 Aurea qui nitidis vellera tingis aquis;
 Quem Bromius, quem Pallas amat; cui rector aquarum
 Albula navigerum per freta pandit iter:
 Omnibus lætis vestras Instantius oras
 Intret; et hic populis, ut prior, annus eat.
 Non ignorat, onus quod sit, succedere Macro.
 Qui sua metitur pondera, ferre potest.

* Instantium Rufum Macro successurum in provincia Bætica, excipit carmine. Scilicet, fausta ei precatur, et civibus suis optimum promittit procuratorem. Ed.

1. *Bætis olivifera.* Vide. lib. VIII, epigr. xxxviii. Ad Bætium fluvium Hispaniæ sunt multæ olæ. Quum autem sæpe flumina apud Veteres humano habitu represententur, Martiali placuit Bætium oliva decorare, quæ ditabantur ipsius ripæ. Ed.

2. *Aurea qui tingit,* etc. Sæpius poeta lanas Bæticas prædicavit. Vide lib. VIII, epig. xxxviii, vs. 6, et lib. XIV, epigr. cii.

3. *Quem Bromius.* Illic nempe magna est vini atque olei copia. Unum est illud e sexcentis Bacchi nominibus. Dictum est a græco *Ἐρμῆς*, h. e. fragor; qualis fiebat, verbi causa, inter Bacchanalia. Ed.

— *Rector aquarum.* Neptunus.

4. *Albula freta:* canum quippe, seu spumosum est mare, maxime ubi se in illud exonerant fluvii.

5. *Instantibus Vatis.* — *Instantius.* De quo lib. VIII, epigr. lxxii; qui

in administratione Hispaniæ successurus erat Macro, viro inrimo, de quo lib. X, ep. lxxv. — *Vestras oras.* Quid vult *vestras*, quod de pluribus didicimus Poeta Bætium solum jam cultus sit? Quia scilicet in nunc habet cives suos, Hispani qui prope Bætium incolunt. Iam etiam cogitavit Martialis de Bætia Pallade, Neptuno quos modum vit. Ut ut sit tamen, hæc ad Grammaticam non mihi datur exacta. Nec afferendus est Vergilii locus *Æn.* VIII, 74, *«Tibi o Tibri...accipite Ænean, et tibi arcete periculis.»* Prius enim nominaverat Nymphas, quæ partem invocationis veniunt.

6. *Amnis* cod. Beverl.

7. *Onus quod sit,* etc. Quæ sit, quid expectetur a quo sancto et integro successuri præsidi, qualem se gessit Macro.

8. *Qui sua metitur pondera.* Qui habita virium suarum rebus videt quam grave subeat onus ferre poterit.

C.

IN EFFRONTEM.*

Os atavi, patris nasum, duo lumina patris,
 Et matris gestus dicis habere tuæ.
 Quum referas priscos, nullamque in corpore partem
 Mentiris; frontem, dic mihi, cujus habes?

* Hoc et duo *sqq.* epigg. absunt a veteri codice, nec immerito, notante et judicante Flosculo. Absunt ab Ald. Junt. Colin. *Barbou.*

1. *Os atavi.* Tria hæc ultima epigrammata per se loquuntur; et argumentum ipsa suum quam clarissime exponunt.

4. *Habes.* Nullius, nullam. Es itaque effrons, ut patet ex lemmate. Hoc sane epigramma et *ci*, *cii* parum sapiunt Martialis acu-

men; nec illa antiquorum mirator pertinacissimus Scriverius suæ editioni inserere est dignatus, nec Raderus duo quæ sequuntur et librum claudunt voluit explicare. — Immeritum, aut certe severius hoc esse judicium, clarr. virr. pace, dixerim. Ex iis enim illud et proximum (*c*, *ci*) nec bona nec mala sunt, quod sæpissime fit in Martiale, et in epigrammatariis omnibus; ultimum autem lepidissimum est.

CI.

AD MATTUM.*

Qui negat esse domi se, tunc quum limina pulsas,
 Quid dicat, nescis? Dormio, Matte, tibi.

* Nulla in isto epigrammate deprehenditur lectionis varietas. Vid. ultimam partem notæ primæ, præc. epigr. Non mihi liquet hujus epigrammatis acumen. Credo tamen tangi seu Mattum, seu eum etiam qui aditum negat. Si Mattum admittis, eum his verbis excipit alter quibus ipse Mattus, uxoris amasios excipiat; si alterum autem, voluerit Martialis eum uti erga invisentem

amicum formula qua, nimis uxorius, utitur erga nobiliorem quemdam. ED.

2. *Dormio, tibi.* Tibi, non sum, non possum, non licet esse domi. Forsau respicit ad Galbam qui dormiebat Mæcenati, dum ipsius conjugii ille blandiretur; vel ad Ennium respondentem quadam die Scipioni, *se non esse domi.* Sensus prior plus saperet.

CII.

AD MILONEM.*

TRURA, piper, vestes, argentum, pallia, gemmas
Vendere, Milo, soles, cum quibus emptor abit.
Conjugis utilior merx est, quæ, vendita sæpe,
Vendentem nunquam deserit, aut minuit.

* Neque hoc epigramma variat.
Vid. not. epigr. c.

3. *Vendita sæpe.* Pretio prostituta.

4. *Vendentem, etc.* Triopeis altera, quam famelicus pater Erisichthon in varias se mutantem

figuras sæpius vendidit. Ovid. lib. VIII Metamorph. — Cæterum voce hic Noster aut parum apta utitur, aut apta abutitur. Nam quæ sui copiam viris non amatis pro pecuniola dat, illa proprie conducitur, non emitur. ED.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBER XIII.

CUI XENIA* INDITUM NOMEN.

* Xenia dicta, quod τοῖς ξένοις, id est, hospitibus, nec non amicis apponebantur mittebanturve. Hæc quum pictores tabellis, tum poeta carminibus imitatus est, infra epigrammate III, et Vitruv. lib. VI, cap. 10. Tituli et lemmata quæ in elegantissimis Xeniorum et Apophoretorum libellis adscripta sunt distichis singulis, ea Martialis esse ut scias, ad dignitatem inprimis utilitatemque utriusque pertinet: quum cæteræ inscriptiones quæ in epigr. lib. XII, atque in fragmento de Spectaculis occurrunt, librariorum sint et criticorum, pro arbitrio ac lubitu quidvis interpretantium ac interpolantium. Quod in Xenii et Apophoretis factum, cave credas. In epigrammatibus quod dico, clamat ipsa diversitas inscriptionum in diversis codicibus,

quum scriptis, tum editis. Horum vero lemmatum auctorem se ipsum profitetur initio Apophoretorum; quum inquit: « Lemmata, si quæras cur sint adscripta, docebo; Ut, si malueris, lemmata sola legas. » Adde quod absque iis ne millesima quidem pars distichorum recte intelligi possit. Quod vel solum arguat, ipsius Martialis ea esse; non librariorum, quibus Sphinx domi non erat. In epigrammatibus tam operosis, passim divinationibus non opus. *Scrivæ*. — Id vero notandum omnia hæc quæ pro Xenii missa in hoc libello continentur, edulia esse, aut res quasdam in Veterum conviviis et utiles et usitatissimas, ut nardum quo vel ungebantur vel coronabantur, ligna quibus coquuntur alimenta, thus ad colendos et invocandos ante epulas deos, etc.

I.

AD LECTOREM.*

NE toga cordylis, ne pænula desit olivis,
 Aut inopem metuat sordida blatta famem,
 Perdite Niliacas, Musæ, mea damna, papyros;
 Postulat ecce novos ebria bruma sales.
 Non mea magnanimo depugnat tessera talo, 5
 Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.
 Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus:
 Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

* Lemma deest in edd. vett. et Farn. quod ed. Delph. negat, antiquitatis ejusd. ac reliqua esse censuit.

1. *Et pro ne edd. vett. Pice nulla Thuan. cod. — Ne toga cordylis. Vid. lib. III, epigr. II, huic simile.*

2. *Aut inopem. Ut habeant tineæ et blattæ cum quibus rixentur, et quam arrodant escam, chartas. — Blatta, quæ rodit chartas, genus est vermis.*

3. *Perdite. O Musæ, quarum cæstro ego percitus, meo cum damno scribo carmina; perdite et has chartas. — Niliacas papyros. Quia in Ægypto nascuntur papyri, quas per appositionem vocat sua damna: mali nam versus perdunt bonas chartas. Juv. Sat. I, vs. 15: « Stulta est clementia, quum tot ubique Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ. »*

4. *Ebria bruma. Saturnalia intellege, quibus genio indulgebant Romani. De his supra pluries.*

5. *Telo cod. Beverl. — Non mea magnanimo. Vide quæ jam de talis et tesseris dicta sunt, lib. IV, epig.*

xiv. Calcagninus de Tesseris sic ait: Duabus tribusve tesseris, quatuor autem ad minimum talis contendebatur in acie lusoria. Unde talis pares non sunt tesserae, sed inferiores; lib. XIV, epigr. xv: « Non sim talorum numero par tessera, dum sit Major, quam talis, alea sæpe mihi. » Hæc ratio ad explicandum *tò magnanimo* mihi quidem levior videtur, sed meliorem non reperi. Judicet lector.

6. *Senio. Dicitur, quum in jactis talis senarius apparet; canis autem, quum unicum senario oppositum punctum apparet. Ebur nostrum, ex quo scilicet fiebant tesserae, ut et tali, quos hoc loco intelligi censet idem Calcagninus de Tesseris.*

7. *Nocet pro nuces Bev. — Hæc mihi. Sensus est: Ego, inquit Poeta, Saturnalium tempore, nec tesseris, nec nucibus, nec talis ludo, sed Musis vaco. De fritillo copiose dictum est lib. IV, epigr. xiv.*

8. *Non Bev. — Alea ista. Ludus hic meus epigrammatarius.*

II.

IN DETRACTOREM. *

NASITUS sis usque licet, sis denique nasus,
 Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
 Et possis ipsum tu deridere Latinum,
 Non potes in nugas dicere plura meas,
 Ipse ego quam dixi : quid dentem dente juvabit
 Rodere? carne opus est, si satur esse velis.
 Ne perdas operam ; qui se mirantur, in illos
 Virus habe : nos hæc novimus esse nihil.
 Nec tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
 Nec matutina si mihi fronte venis.

* *Ad eundem* ed. Barb. — Epigramma hoc in Zoilum et scio-
lum, quo monet lectorem Theoni-
num, uti ne carpat id quod a se
jam carptum et abjectum contem-
ptumque sit satis.

1. *Nasutus*. Licet sis maximus
derisor; nasus enim irrisionis sedes
est. Vid. lib. I, epigr. iv.

2. *Noluerat* MS. Beverl. et vs. 5,
sed pro quam, et vs. 9, *conditus*,
et vs. 10, *venit*. — *Quantum noluerit*
ferre rogatus. Totus ex irrisione
compositus et conflatus, « deos ro-
gabis Totum ut te faciant, Fabulle,
nasum », dixit Catullus, sed sensu
alio. — *Atlas*. Hyperbolice. Qui
Atlas cælum tamen humeris susti-
nuisse dicitur, lib. IX, epigr. iv,
vs. 5.

3. *Latinum*. Mimimum nempe tunc
celebrem; lib. I, epigr. v, vs. 5,
« derisoremque Latinum ».

5. *Ipse ego quam dixi*. Sic edd.
fere omnes. Quædam tamen *tam pro*
quam. Neutrum cod. Beverl. vid.
not. ad vs. 2. — *Ipse ego*. Nam su-
periori carmine appellavit eas, to-
gas cordylarum, esculenta blatta-
rum, nuces puerorum, et fritillos,
etc. — *Quid dentem*, etc. Quid li-
mam frustra rodis, dentes tibi era-
sura vipera? quid carminibus meis
reprehensoriis, reprehensor?

6. *Carne opus est*. Hoc est : Si
velis explere invidiam, carpe illos
poetas, qui grandia promittunt,
et in bicipiti somniasse Parnasso se
dicunt.

9. *Nec tamen*. Hoc est : Tamen
hi versus non sunt plane abjicien-
di, sed placebunt lectoribus can-
didis, atque iis qui genio indul-
gent. — *Matutina fronte*. Hoc est,
tristi supercilio : mane cuius non
pransi homines sunt severi.

III.

AD LECTOREM.*

OMNIS in hoc gracili Xeniorum turba libello
 Constabit nummis quatuor empta tibi.
 Quatuor est nimium : poterit constare duobus,
 Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
 Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas, 5
 Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
 Addita per titulos sua nomina rebus habebis;
 Prætereas, si quid non facit ad stomachum.

* *Ad lectorem* lemma est in edd. libr. omnibus, excipias modo ed. *Barb.* in qua *Ad eundem*.

— Pretium et argumentum libelli significat : pretium est geminus nummus seu victoriatus ; argumentum, Xenia distichis singulis comprehensa.

1. *Xeniorum*, etc. Vide quæ notavimus de genere hoc epigrammatum ad inscriptionem libri hujus pag. 89.

4. *Tryphon*. Bibliopola iis temporibus præcipue celebris, de quo jam lib. IV, epigr. LXXI ; et Tom. I, p. 35 nost. Quintiliani. Ed.

5. *Disticha mittas*. Vid. rursus quæ diximus initio hujus libri : Xenia quippe hospitibus mitti solebant.

6. *Si tibi tam*, etc. Malum scilicet omnibus fere poetis familiare.

7. *Cadit pro Addita*. MS. Beverl. Quod probare videtur, ob causam omnibus obviam, nos recte tribuere varietates codici Beverl. Vide

quæ diximus ad XII, LXX, 9, et consule alias huj. MS. varietates, ut nostram sententiam aut damnes aut confirmes. Cæterum ex hoc epigrammate æqualiter diviso duo conflatur ed. *Barb.* et hæc duo facit ut eundem titulum præ se ferant. Obliti eramus notare sic scribere *De Rooy* ad vs. 3. « Longe venustius [sc. quam *Quatuor est nimium : p.*] Sriverius *Q. est nimium ? p.* Malim tamen *Quatuor ? est nimium. P.* » Et hanc emend. tanti æstimat amicus Viri cl. *De Rooy* in epistola ad eum scripta, ut dicat, quamvis emendationem ipse cruerit, tamen se fateri restitutione ejus adeo effascinatam, ut flocci propriam præ illa pendat.—*Per titulos*. Lemmata, seu argumenta intellige uno verbo constantia.

8. *Non facit ad stomachum*. Hoc de suis versibus dicit Poeta ; sed alludit ad esculenta, quæ in hoc xeniorum libro describuntur.

IV.

THUS.*

SERUS ut æthereæ Germanicus imperet aulæ,
Utque diu terris, da pia thura Jovi.

Ὅψ' ἵνα κοιρανέοι Γερμανικὸς ἐν Διὸς αὐλῇ,
Δηθάκι δ' ἐν γαίῃ, τῷ Διὶ δὸς λίβανον.

* Quidam hinc initium Xeniorum faciunt, et IV pro primo numerant epigrammate. Poeta usum thuris ostendit, atque monet Deos rogandos esse pro diuturna Cæsaris vita.

1. *Sertis ætherii* MS. Beverl. *Aula* Ald. Junt. Colin. Maitt. *Aura* Vat. Nostram lect. dat cod. Thuan. — *Serus ut*, etc. Sic Horatius, lib. I, od. II, stroph. penult.: « Serus in

cælum redeas, Neve te nostris vitiis iniquum Ocyor aura Tollat. » — *Germanicus*. Domitianum hic intelligunt interpretes; unde colligunt, non extremis Martialis annis, sed vivo adhuc Domitiano, scripta esse hæc disticha. Vide lib. VIII, epigramm. xxxix.

2. *Pia thura*. Religioni nempe et Superis destinata sunt. Plinius lib. XII, cap. 4, agit de thure.

V.

PIPER.

CEREA quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Quum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

Συκαλίδ' ἰξυόφι λελαχῶς τεθαλυῖαν ἀλοιφῇ
Πᾶσσον ἐπικνήσας, εἴ τι φρονεῖς, πέπερι.

1. *Cerea*. Hoc est, pinguis. Lib. III, epigr. LVII: « Inde cereus turtur. » De ficedula infra epigr. XLIX.

— *Lucet*. Avis illa præ pinguedine.

2. *Sorte* ed. Farnab. — *Adde piper*. Insipida quippe est ficedula.

VI.

ALICA.

Nos alicam; mulsum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Χόνδρον ἐγὼ σοι ἔδωκα· δότω μελίκρατον ὁ πλουτῶν.
Πλούσιος οὐκ ἐθέλει δοῦναι; ἄταρ σὺ πρίω.

1. *Non* MS. Beverl. — *Alicam*. Vidend. lib. II, epigramm. xxxvii. *Alica* dicitur, inquit Festus, quod alit corpus. Genus est præstantissimi tritici, unde fiebat potio, quæ

dicebatur *alica*. Ita Raderus. Videtur non multum differre ab ea potione, quam Gallice vocamus *de la bière*.

2. *Emas* cod. MS. Beverl.

VII.

CONCHIS FABÆ.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Σοὶ χιδρὸς εἰ κύαμος κεράμοις ἐνι πέφλιδε, δείπνοις
Οἰμῶζειν μακρὰν δαψιλέεσσι λέγε.

1. *Si*, etc. « Si vera est lect. quam Ciofan. e Vat. producit ap. Ov. F. I, 510, hoc Nostri loco similiter legerim *rubro testu*. Pro *spumet* itidem maluerim *sumet*: id quod jam et Heinsio in mentem venerat. Vid. ad Fast. vs. 509. Nec fere dubito quin veriss. sit illa scriptura. » *De Rooy*. — *Si spumet*. Scilicet, dum coquitur: conchis vero faba est vi-

ridis, quæ oleo uncta optimi est saporis, et elixa pallescit. Vide lib. VII, epigr. lxxviii; Juven. Sat. XIV, vs. 31, et Sat. III, vs. 293, « Cujus conche tumes ». — *Rubra testa*. Hoc est, in vase fictili rubro.

2. *Lautorum cœnis*. Te divite invitante ad cœnam, nega; nam fabam bene conditam comedens domi laute cœnabis.

VIII.

FAR.*

IMBUE plebeias Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

Δημοτικῶ πολτῶ Κλουσίνας ἔμβροχε χύτρας,
Γλεῦκος ἴν' ἐμπορευθεῖς ἐν κενεῆσι πίης.

* Hoc et sequens epigr. permutat ed. Barb.

1. *Imbue plebeias.* Hoc disticho præcipit Martialis, ut in ollas, quæ Clusini farris pulte imbutæ fuerint, mustum mittatur, quod eo tamquam condiatur, et ad bonitatem proficiat, commendeturque. Clusium vero maritimum Tusciæ oppidum est, hodie *Chiusi*. De farre vide Plinium lib. XVIII, cap. 8. — *Plebeias vero ollas* ob id præci-

pue nuncupat, quod e terra fictili testæ, amphoræ, cadi et omnia fere formarentur quibus vinum condebant Veteres.

2. *Ut satur, etc.* Gratiore enim bibebantur apud Veteres e vasis pulte imbutis vina. Magni Turneb. *Adversariorum* lib. XXV, cap. 28. Item Theophrast. lib. de odoribus scribit, demissis in dolia farris offis, vinum domari, mollescere et cum saporis gratia mitescere.

IX.

LENS.

ACCIPE Niliacam, Pelusia munera, lentem;
Vilior est alica, carior illa faba.

1. *Niliacam.* In ea nempe Ægypti parte, quæ Ægyptus Inferior, sive Delta, ob literæ illius similitudinem vulgo dicitur, circa oppidum Pelusium nascitur lens optima. Vir-

gilius, Georg. 228, I: «Nec Pelusiæ curam aspernabere lentis»; et Plin. lib. XVIII, cap. 12. De alica et faba supra dictum ad hujus libri epigramm. VI et VII.

X.

SIMILA EX TRITICO.

NĒC poteris similæ dotes numerare nec usus,
Pistori toties quum sit et apta coquo.

Οὐκ ἀξίως ἂν σεμιδάλεως χρείας λέγοις,
Οὔτω μαγείροις, ἄρτοποιοῖς τ' εὐθέτου.

1. *Similæ*. Quæ est flos farinæ. Exstat adhuc apud nos haud absona vox, *semoule*. — *Dotes nec usus*. Munera et usus, farina enim simila-

ginea variis pistorum usibus servit.

2. *Pistori toties*. Quum variis et placentarum et cibariorum generibus condiendis inserviat.

XI.

HORDEUM.

MULIO, quod non des tacituris, accipe, mulis.
Hæc ego cauponi, non tibi, dona dedi.

1. *Det* edd. vett. et Farnab. *Taciturnus* cod. Beverl. — *Quod non des*. De hordeo fuse Plinius lib. XVIII, cap. 7 et alibi passim. — *Tacituris*. Hoc est, non dicturis defraudatos esse se hordeo.

2. *Coconi* Ald. Junt. Colin. et sic legit Calderinus. — *Hæc ego cauponi*, etc. Quod tu vendes cauponi, pabulum equis futurum, non panem tibi. Vide Turnebum lib. XXV, cap. 28. Dabat Dominus mulioni hordeum in pastum mularum.

Ille eas fœno saturare contentus, gnarusque mutas pecudes furtum non prodituras, mavult id vendere cauponi, et ejus pretio aut mercedulam augere, aut curare cutem. Loquitur ergo, tanquam minime dubitans de fraude servili: Accipe quidem hordeum, etsi nimis verear ut id mulis apponas: itaque quia fraudator es, et fœno mulas pascis, videor hordeum tibi quum maxime dans, non tibi, furcifer, sed cauponi dare. *Gronovius*.

XII.

FRUMENTUM TRITICEUM.*

TERCENTUM Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

Δέξο τριακοσίους Λιβύκοι' ἀπ' ἄγροιο μεδίμνους,
Δέξο, φίλ' Ἰταλικὴ μή ποτ' ἄρουρα θάνοι.

* *Frumentum triticeum.* Optimum frumenti genus triticum habebatur. Cujus de natura variisque generibus vide Joann. Bruyerinum de re cibaria, lib. V, cap. 1 et 2. Galenus πλωχρησμέτατον καὶ πλωχρηστώτατον appellat.

1. *Tercentum.* Numerus certus pro incerto, quod more poetarum pro magna copia ponitur. Sic quoque *sexcenti*, apud Græcos μύρια, et gallica lingua *vingt, cent, mille*. — Numerum incertum vulgo quidem hic innui credunt, sed forsitan non bene. Vide infra. — *Modios.* Modius, quo triticum, hordeum et alia id genus Romani metiebantur, duo et triginta heminas continebat, vel, quod idem est, sexdecim sextarios; et si Gallicis mensuris conferatur, idem erit ac 432 *pouces cubes* 296, vel 8 *litres* 82. Quinque vero modios soliti erant consumere, ut jugerum unum consererent. Inde non immerito conjicias hic agi de agro sexaginta jugerorum, itaque non pro incerto numero *tercentum*. — *Libyci.* Libye nempe græcum est nomen quo Africa designabatur, sed non eo tamen sensu, quo nos

vulgo intelligimus, sed quo Romani Africam diœcesim: Africa vero diœcesis eam tantum Africæ partem continebat, quæ a Cyrenaica Pentapoli et Syrtica regione ad Atlanticum mare protendebatur. Immo tibi notandum est videri antiquos Asiæ, non Africæ adjunxisse Ægyptum; et de hoc vide Sallustii Bellum Jugurthin. cap. 16. Africa vero iis temporibus, sub imperio Romano et administrandarum rerum peritissimis viris, tritici feracissima fuit, et post Ægyptum ubertate prima habebatur. Horat. lib. I, od. 1: « Quidquid de Libycis verritur areis. » Item Senec. in Thyest. « Non quidquid Libycis terit Fervens area messibus. » Et ipse Martialis, lib. VI, epigramm. LXXXVI, vs. 5: « Possideat Libycas messes, Hebrumque Tagumque. » Et ob id Ceres Libyssa nominata, ut refert Festus.

2. *Suburbanus ne moriatur ager.* Hoc est, triticum ipse seras in agro suburbano, ne sterilecat: vel quo alatur Urbs alioqui peritura ob agri suburbani sterilitatem, seu continua cultura effœti.

XIII.

B E T Æ. *

UT sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam sæpe petet vina piperque coquus!

Ὅφρ' ἤ, τεκτονικὴ δαίς, εὖζομα τεῦτλα, μάγειρος
Ποσσάκις αἰτήσει καὶ μέθυ καὶ πέπερι!

* In his quæ præcedunt et libelli initium efficiunt epigrammatibus, enumeravit poeta noster plerasque fruges, farinas, frumenta et quæ nos gallice *céréales* appellamus, cum aromatibus. Transit nunc ad legumina, et circa hæc per novem epigrammata ludit. ED.

— Nullam in hoc epigrammate scribendo varietatem produnt libri, sive manuscripti, sive prælo excusi.

1. *Ut sapiant.* Hoc est, ut saporis quiddam habeant, et edentis gulam leviuscule saltem stimulent. Insipidæ quippe sunt betæ, nisi bene condiantur. — Et quidem ita insipidæ, ut usitatum Græcis fuerit dicere pro *stulta, fatua, vana effutire*, βητίζειν. Diogenes Cynicus solebat dicere: « Canis non vescitur beta. » Quo dicterio non vilem et ipsis canibus spretam betam indicabat, sed nullius saporis, quasi dixisset: « Cynicum (eadem nempe voce canis et Cynicus latine, græce Κυνικὸς φιλόσοφος et κύων) non decent quæ sine acumine et vi edulia sunt. Id autem sumptum a maligno viro ἀλληγορικῶς, ut stulta et vana respuenda discipulis suis innueret.

Cæterum de beta vel alba vel guinea vide disserentem Jos Bruyerinum lib. VIII, cap. *Fabrorum prandia.* Fabros hinc minat ut artificum miserrimum pauperrimum quemque ex i plebe. Unde sensus hic est, vilior et levior. Namque betæ tensium levissima est, τὸ τεῦτλον, et ditiorum mensis, et condimento, minus appositæ plebeiorum hominum et terrarum. Unde Persius, Sat. III 113 et 114: « tenero latet in ore Putre, quod haud c plebeia radere beta. » Et Syrius, *Ænigm.* IV, jocosus in men βῆτα legumini simul et commune: « Tota vocor græca sed non sum tota latine: Per plebes semper proponor namque bernis. »

2. *Sæpe petit vina.* Affectum enim beta, et betam vinum; et enim betæ, foliis in dolium mersis, vinum restituitur unde dicit Plinius, in lib. XIX, cap. Vid. preterea de hoc Apicius III, cap. 9, qui tamen ad condendam betam nec piperis, nec mentionem facit. *Rader.*

XIV.

LACTUCA.*

CLAUDERE quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Ἦτις τῶν προγόνων θρίδαξ τεκμαίρετο δαΐτας,
Εἰπὲ, τὴν δείπνων ἄρχεται ἡμετέρων;

* Neque ulla in hoc epigrammate scripturarum variatio.

1. *Lactuca*. Quam sic dictam vulgo aiunt, quod abundantia lactis exuberet.

2. *Dic mihi*. Causam attulit ipse lib. XI, epigr. 1.11 : « Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo. » *Claudere*. Namque constat satis in fine cœnæ lactucam apponi solitam apud Veteres, quoniam insita frigi-

ditate ebrietatem retundit. Et hinc in Moreto, Virgilius, sive quicumque lepidi opusculi auctor exstitit : « Grataque nobilium requies lactuca laborum. » Item Athenæus, lib. II : « Οἱ μὲν ἀρχαῖοι, κ. τ. λ. Domitiani vero temporibus videtur potissimum usus ille de lactuca inverti cœpisse. Vidend. Palladius Jan. tit. XIV, atque supra citatus Joannes Bruyerinus lib. VIII, cap. 4.

XV.

LIGNA ACAPNA.*

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

Χωρία Νωμέντῳ ναίων σύγχορτα, γεωργέ,
Μέμνησ' εἰς αὔλιον κάγκανα κάλα φέρειν.

* Pro *acapna* Thuan. cod. *actua*.

1. *Ligna acapna*. Hoc est, quæ incensa non fumant. Nomentum autem oppidum erat Latinorum, ad decimum ab Urbe lapidem situm, ubi multæ paludes; ubi nota ligna

non erant sicca, proindeque non igni, sed famô excitando idonea : atque ita ferenda illuc ligna acapna monet Poeta, nativis longe meliora.

2. *Mane bis ad villam, rustice l. f.* MS. Beverl,

XVI.

RAPA.*

HÆC tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ dampus, in cælo Romulus esse solet.

Ἄς σοι γογγυλίδας χαιρούσας ψύχει πέμπω,
Τάσδε μετ' οὐρανίων Ῥωμύλος ἐσθίεται.

* Nulla in hoc epigrammate exhibendo deprehenditur, sive membranarum, sive excusorum librorum varietas.

1. *Gaudentia frigore.* Quo nempe dulciora fiunt et majora. Vid. copiose satis de iis dicens Plinius lib. XVIII, cap. 13.

2. *In cælo Romulus.* Tam dulcia nimirum, ut vel in cælo iis Romu-

lus libens vescatur. — Sic plurimi. Sed melius de paupertate illius sæculi intelligas, quo Romulus vixerat, quasi nimirum in cælo iisdem cibus victitet, quibus in terra alabatur. Namque credidisse videntur Prisci non tantum nectare et ambrosia deos pasci, verum etiam vilibus quibusdam cibus, ut Romulum rapis, etc. En.

XVII.

COLICULI.*

NÆ tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Ναυτιάαν κράμβης θαλλοῖς εἰ δειδίας ὠχροῖς,
Τεύξαι σφι χλοερὸν χρῶτα νιτρῶδες ὕδωρ.

* *Fasciculi* cod. Thuan.

— Brassicæ vim, laudes, medicinam Cato de Re Rustica cap. 156 commemorat. Caules (unde coliculi, pro cauliculi) sunt brassicæ pars interior.

2. *Vitiata* pro *Nitrata*, et *flatus* pro *fiat* MS. Beverl. — *Nitrata*, etc. Nitro enim olera viridiora fiunt. Vid. de nitro fuscè tractantem Plinium lib. XXXI, cap. 10, ubi naturam ejus et dotes aperit.

XVIII.

PORRI SECTIVI.

FILA Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Βρωμῶδες τὸ τρίχωμα Ταρεντίνοιο πράσοιο
Εἰ ἔφαγες, κλείσας τὸ σῶμα κῦσον ἐμέ.

1. *Fila*. Porrum sectivum intellige, qui optimus Tarenti nascitur, et in herbulas fruticescit, in tenuia quaedam stamina crescens veluti fila. Eo autem comeso male olet os; unde dicit Poeta, non esse aperiendum ad danda oscula. Voci utilem hunc autumabant Veteres; unde statis mensium omnium diebus porrum

comedeat Nero, Plinius lib. XIX, cap. 6.—*Tarentini*. Quod optimum nascitur agro Tarentino.

2. *Clusa ed*. Par. 1617. Sic alios præterea legere notavit Schrevel. — *Clausu dato*. Ea nimirum quæ « muta... maligna... clusis aditum negant labellis. » Lib. XII, epigr. LV. Vid. not. præced.

XIX.

PORRI CAPITATI.

MITTIT præcipuos nemoralis Aricia porros;
In niveo virides stipite cernè comas.

Ἄλσος Ἀρικῖνον πράσα τιμήεντα δίδωσι·
Λευκὸν ὄρα χλοεράς καυλὸν ἔχοντα κόμας.

1. *Mittis* MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Aricia*. Latii civitas, in qua porrus capitatus optimus, ut Tarenti sectivus nascebatur. Dicitur *nemoralis* a nemore vicino, de quo quanquam et celeberrimo ob Dianæ Aricinæ cultum et sacerdo-

tem, neque hactenus in his commentariis enarrati, nihil dicemus. Sed vide Ovidium Fast. VI, 59.

2. *Virides comas*. Caput porri viride intellige, cujus stipes albus est, ubi maturuit. Vide Columellam de Re Rustica lib. XI, cap. 3.

XX.

N A P I.

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis;
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Ἡμεῖς εὐκάρπου πέλομεν κήπευμ' Ἀμιτέρνου·
Γογγυλίδων Νούρσης οὐκ ἂν ἔχοι σε πόθος.

1. *Hos* Ald. Junt. Colin. — *Napi*. Qui parum differunt a rapis. Colum. lib. II, cap. 10. — *Amiternus*, etc. Amiternum urbs Italiæ, Aquileiæ vicina. In qua palude (inquit Sidonius Apollinaris lib. I, epist. 8) muri cadunt, aquæ stant: turres fluunt, etc. Mare autem Adria-

ticum Ravennæ paludibus immiscetur. Vitruv. lib. I, cap. 4.

2. *Nursinas pilas*. Rapa rotunda interpretare: Nursia vero civitas est Sabinorum, hodie *Norza*. — *Parcius esse*. Vel quod Nursinæ illæ pilæ napis Amiternis cariores sint, vel quod injucundiores.

XXI.

ASPARAGI.*

MOLLIS in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Ὄντινα παρράλιη μυάκανθον ἔθρεψε Ραβέννη
Οὔτοι ἀκηπεύτων ἀσπαράγων προφέρει.

* Nulla hic scripturæ varietas.

1. *Mollis spina*. Plinius lib. XXI, cap. 15: «In totum spina est asparagus.» Sensus est epigrammatis: Asparagi sylvestres et inculti non cedunt Ravennatibus asparagis cultis et satis; de quibus Plin. lib. XIX, cap. 4: «Nullum gratius his solum,

quam Ravennatium hortorum», mox cap. 8. «Trium librarum asparagum Ravenna aliquando produxit.» Vid. jam citatus Plinius, sed lib. XXI, cap. 15; Cat. de R. R. cap. 16; Athen. lib. II, cap. 33; Joann. Bruyerin. VIII, 18 et 82. — *Ravenna*. De qua lib. III, epigr. LVI.

XXII.

UVA DURACINA.*

NON habilis cyathis, et inutilis uva Lyæo;
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

Εἰμί μὲν οὐ χρηστὴ κυάθοις, οὔτ' εὐθετος οἴνω·
Οὐ πίνοντί μ' ὅμως εἰμί σοι εἶδαρ ἐσ̄.

* *Uva duracina*. Plinius lib. XVI, cap. 1 : « Uva non alicubi gratior callo, ut inde possit invenisse nomen duracini. » Legunt alii *duracinae*. Colum. de Re Rustica lib. III, cap. 1, appellat uvas duri acini: aci-

nus autem vel acinum est granum, quod vocamus gallice *pique-poule*.

1. *Non habilis*. Quia ex ea vinum exprimi nequit.

2. *Non potanti*. Sed comedenti tibi nectar ero.

XXIII.

CHIA FICUS.

CHIA seni similis Baccho quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat, et ipsa salem.

Γηραλέω Βάκχῳ Σητίνῳ Χῖον εἰκὸς
Σῦκον, ἄκρατον ὁμοῦ καὶ ἄλας ἠδὺ φέρει.

1. *Chia*. Chios est insula Ægæi maris, unde translata ficus produxit fructus *Setiæ*, in oppido Campaniæ, hodie *Sezza*. Fuit alia *Setia*, urbs Cretæ, ex qua allatam hanc ficum vix crediderim. — Quid hoc ad rem faciat nescio. Minime enim Noster innuit *Chias ficus* vel *Setiæ* vel *Romæ* nasci (quanquam constat posterius ex Athenæo lib. III : ἐπαινεῖται δὲ καὶ ἄλλα συκῶν γένη,

κατὰ τὴν Ῥώμην γιγνομένων, Χῖα καὶ τὰ Διβιανὰ, ἔτι δὲ καὶ Χαλκιδικὰ ὀνομαζόμενα, καὶ τὰ Ἀφρικανὰ, ὡς καὶ Ἡρόδοτος ὁ Λύκιος μαρτυρεῖ ἐν τῷ περὶ συκῶν συγγράμματι); sed iis saporem eundem fuisse quem *Setino* vino, ubi satis jam conseruat. ED.

2. *Ipsu merum*. Hoc est, Sapit merum et salem. Vide lib. VII, epigr. xxv.

XXIV.

CYDONIA.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

Εἰ μέλιτι μεθύοντα κυδώνιά τις παραθείη
Σοί ποτε, ταῦτα καλεῖν σοὶ μελίμηλα θέμις.

1. *Cecropio melle.* Jam vidimus laudari præ cæteris apud Veteres Atticum mel in Hymetto monte natum, cui solum merito conferebatur mel ex Hybla monte in Sicilia. Vid. de hoc Nostrum, lib. II, epigr. XLVI; lib. V, epigr. XXXIX; lib. VII, epigr. LXXXVIII; lib. IX, epigr. XXVII; lib. X, epigr. LXXIV; lib. XI, epigr. XLII; de illo, lib. VII, epigr. LXXXVIII, lib. XI, XLII, lib. XIII, epigr. CIV. Notum vero dictam a Cecrope Athenarum conditore et primo rege Atticam et quidquid in ea fuit Cecropium, et incolas Cecropidas.—*Saturata.* Hoc est, melle incocta, ut docet fuse ex Catone Plinius, (Bip.) lib. X, c. 17: «His proxima amplitudine mala quæ vocamus Cotonea, et Græci Cydonia, ex Creta insula advecta. Incurvatos trahunt ramos, prohibentque crescere parentem. Plura eorum genera. Chrysomela, incisuris distincta, colore ad aurum inclinato. Quæ candidiora, Nostratia cognominata, odoris præstantissimi.» Dicta autem sunt *Cydonia* a Cydone, urbe Cretæ. Sereus, cap. 24: «Aut quis poma Cydon Creteis misit ab oris.» Mollissima autem

lana tecta Romam advehene per viam læderentur aut scerent. Ipse namque Martialis X, epigrammi. XLII, vs. 1, 2. «Tam dubia est lanugo tibi mollis, ut illam Halitus et et levis aura terat. Celantur ventura Cydonia lana.» I præterea de Cotoneis malis I Cremon. lib. II, cap. 20 cibaria.

2. *Licet.* Thuanus code cent. «Firmatur ea lectio ex I XVII, 7 Origin.» *Beverla Melimela.* Quasi nempe dicuntur μέλι καὶ μήλον, hoc est latinum et pomum, aut si uno verbo efferas, mellitum pomum. — videtur, non ejusdem generis mela fuisse et Cydonia, et inclusisse circa verba Martialis mirum vi sua quadam natura sponte melimela sapiunt, sequuntur in melle Cydonia. autem finge tibi aliquem hæc apponentem vel porrigentem cere, En accipito melimela spondehjt alter, Melimela, Cydonia sunt.—Non ergo; Cydonia sunt mella tincta, Cydonia mellita, ergo μελίμηλα.

XXV.

NUCES PINEÆ.*

POMA sumus Cybeles : procul hinc discede, viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Τῆλε σοβοῦ, παροδίτα, Πέης ἀκρόδρυόν εἰμι,
Ὅφρα μὴ εἰς σκέτλιον κράτα πέσοιμι τεόν.

* *Nuces pineæ*. Sic nempe appellabantur pini arboris fructus, qui alio nomine coni ob formam et strobili passim nominantur. Nos vocamus *pommes de pin*.

1. *Absiste* Gruter. ex Palat. et sic *Barb.* ed. — *Cybeles*. Cui nempe sacra erant propter Atyn ab' ea adamatam, et in pinum conversum.

De nucibus pineis Plinius XV, 10.

2. *Nec* MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Ne cadat*. Hoc est : Ne cadamus in tuum caput. Jocus est poetæ, qui poma ipsa loquentia inducit. Nam nec tanti sunt voluminis ut cadentia vulnerent viatorem; et Theocritus, Idyll. V, id ipsum, ut gratum commendat.

XXVI.

SORBA.

SORBA sumus, molles nimium durantia ventres;
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

Οὔα μὲν ἐσμέν, ὑγρῆς γαστρὸς σκλήρυντρον ὀπώρη·
Παιδὶ δὲ μάλλον εὐῶς, ἢ σοι, ἀρμοδίη.

1. *Sorba*. Gallice *des cormes*. — *Molles durantia ventres*. Hoc est, stomachum adstringentia, et lubricam sistentia alvum. Idem aiunt Dioscorides, lib. I, cap. 173, et Plinius lib. XVIII, cap. 7. Vid. præterea idem Plin. lib. XVI, cap. 21, ubi quatuor sorborum genera

distinguit, et Theophrastus lib. III, cap. 12.

2. *Damus* Pal. pro *dabis*. — *Aptius hæc puero*. Sæpe enim alvi profluvio laborant pueri. Forte subest aliquid nequius, propter illud Gildæ in Querolo : *Nam si insuper nuces et sorba dederis, totum pupillum ceperis*.

XXVII.

SPATHALION CARYOTARUM.*

AUREA porrigitur Jani caryota Kalendis;
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Χρυσοχρῶς δίδοται καρυῶτις ἐν ἡματι πρώτῳ
Ἰάνου· δῶρον ὅμως αὐτὸ πένητος ἔφυ.

* *Petavirium cyriotarum* cod. Be-
verl. — Termes ab arbore palma
decerptus. Diosc. lib. I, cap. 123.
Salmasius censet legendum esse *spa-*
lathion vel *palathion*; παλάθη enim
ficuum dicebatur globus vel massa.
In massam conditæ similiter affere-
bantur caryotæ. Hesychius: παλάθη,
ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις. Inde
σαλάθιον et σπαλάθιον. Cottana etiam
ac pruna in massas sic componeban-
tur. Hinc Martial. epig. sq. « Hæc tibi
quæ torta venerunt condita meta, Si
majora forent coctana, ficus erant. »
Stattius in *Silvarum* lib. IV, Carm.
ix, vs. 27: « Nusquam turbine
conditus ruenti Prunorum globus
atque cottanorum. » Ad verbum,
globus prunorum est παλάθη. *Salmas.*

1. *Jani*. Kalendis Januariis, mit-
tebantur a pauperibus palmulæ in-
auratæ, vel crusta illitæ, ut placet
Jos. Scalig. in *Tibull.* lib. I. Vid.
Martial. lib. VIII, epigr. xxxiii,
vs. 11. — *Caryota Kalendis*. Pal-
mularum fructus ita dicti, quod ca-

piti graves sunt. Plin. lib. XIII,
cap. IV.

2. *Sed tamen*, etc. Sic jam lib.
VIII, epigr. xxxiii: « Hoc linitur
sputo Jani caryota kalendis, Quam
fert cum parvo sordidus asse
cliens. » Hic fere Raderus: Adde
etiam σύγκρισιν in hoc versu, hæc
munera si mittant pauperes, quanto
majora divites? — Aliquid procul
dubio subaudiendum est; at illud
estne quod credidit Raderus? Ego
crediderim libentius voluisse poe-
tam per hunc versiculum mon-
strare, quam exiguum munusculum
sit, sic nempe λιπτολογῶν: Aurea
est caryota, et tamen porrigit cliens
inops, parva ergo est; vel si Ra-
dero sententia magis delecteris,
eam hunc sic explicare scito, ut ad
semetipsum revocet illud Noster:
Aureum munus tibi porrigo, au-
reum munus pauper; aureum tu
dives mihi porrigit, sed maxi-
mum, sed eximum, sed te divite
et divitiis tuis dignum.

XXVIII.

COCTANA.*

HÆC tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent coctana, ficus erant.

Ταῦτά σοι ἄ σπυρίδι κορυφούμενα κόκτανα πλεκτῆ
Ἡλυθον, εἴτοι ἔην μείζονα, σῦκον ἂν ἦν.

* *Vas Cotanorum* cod. Beverl. *Vas coctan.* ed. Barb. Vid. Turneb. XXV, 28. Non ultimum lemma ponit etiam Scriverius.

1. *Cocta* Palat. pro *torta*, et alii *menta* pro *meta*. — Scribunt alii, *cottana*, lib. IV, epigr. LXXXVIII. — *Hæc tibi*. Plinius lib. XIII, cap. 3. In ficorum genere autem carycas, et minores ejus generis, quæ coc-

tana vocant. — *Torta meta*. Hoc est, e tortis juncis texta sporta, vel testa turbinata in metæ formam, ut lib. I, ep. XLIV, 7, quam lib. V, ep. XVIII, 3, dixit acutam testam. Ita Farnabius. Legunt alii, *torta mentha*, hoc est, inquit Domitius, coctana coronata mentha torta, ut recentia servarentur. Videat lector.

XXIX.

PRUNA DAMASCENA.*

PRUNA peregrinæ caric rugosa senectæ
Sume : solent duri solvere ventris onus.

Τὰ βράβυλα ξείνω ρυτιδώδεα γήραι δέξαι·
Σκληρὰς μαλθάσειν γαστέρας ἀρμόδια.

* *Vas Damascenorum* cod. Beverl. ed. Barb. et alii *Vas Damascenarum*, minus bene. Jungit Raderus duo hæc lemmata et scribit « Pruna Damascena, seu vas Damascenorum ».

1. *Peregrinæ senectæ*, etc. Nein-

pe pruna allata e meridionali Syria, cujus Damascus est civitas nobilitate, industria, opibus principumque domicilio ante conditam Antiochiam celeberrima. Vide quæ notavimus ad lib. V, epigr. XVIII, 3.

XXX.

CASEUS LUNENSIS.

CASEUS Etruscæ signatus imagine Lunæ
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Τυρρηνῆς τυρὸς κεχαραγμένος εἰκόνι Λούνης
Παισὶ χορηγήσει μυρία δεῖπνα τεοῖς.

1. *Imagine.* Etruriam inter et Liguriam Lunæ portus, hodie Porto Venere. Oppidum maritimum erat, unde Romam mittebantur casei tan-

tæ magnitudinis, ut unus multis prandiis sufficeret. Vide Plinium, lib. XI, cap. XLII.

2. *Multa cod.* Beverl.

XXXI.

CASEUS VESTINUS.*

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Βουλομένω σοὶ ἄριστον ἐλέσθαι λιτὸν, ἄσαρκον,
Τούτ' ἀπὸ Βεζίνων ἦλθε φύραμα βοτῶν.

* *Pro jentaculo caseus.* Sic MS. Beverl. *lemina* exhibet.

1. *Geniales fruges pro jent. fr.* id. cod. et vs. 2 *missa.*

2. *Hæc massa.* Hoc est, hic caseus, nempe e lacte in massam co-

agulato, de quo Plinius lib. XI, cap. XLII. Vestini vero Italiæ orientalis sunt populi ad mare Adriaticum habitantes, circa Matrinum fluvium. Alii sunt in Campania ad inferum, h. e. Tyrrhenum mare.

XXXII.

CASEUS VELABRENSIS.*

NON quemcumque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Οὐ μὴν πῦρ ὁ, τιούν, οὐδ' ὄντινά γ', ἀλλ' ὁ τὸν ἀτμὸν
Βηλάβροιο πιών τυρὸς ἄριστος ἔφυ.

* *Fumosus* pro *Velabrensis* cod. Bev. et sic alios legere notavit editor.

1. *Fumum*. « Fumus imbibitus auget gratiam casei, qualis in ipsa Urbe conficitur cunctis præferendus. » Plin. lib. XI, cap. 42. Cæterum *fumum bibit* dictum Nostro est ad Horatii imitationem, qui lib. III, od. VIII, vs. 9 : « Hic dies, anno redeunte, festus Corticem adstrictum pice dimovebit Amphoræ fumum bibere institutæ Consule Tullo. »

2. *Ipsæ* edd. vett. et Delph. et Farnab. Sic codd. Beverl. et Palat. — *Velabrensem*. Velabrum locus fuit Romæ in regione secunda, prope Aventinum. Et dictum fuit quod, quum locus esset paludosus, volentes viatores transire in Aventinum, ferrentur cymbula et solverent stipem nautis, quæ pecunia tunc *velatura* appellabatur, unde corrupta vocis terminatione Velabrum. Volunt alii derivari Velabrum a vehendo, minus quidem bene; nobis tamen suffragantes, quum Aventinum et olim paludosum fuisse et ratibus transvehi solitum fateantur. Propertius : « At qua Velabri regio patet, ire sole-

bat Exiguus pulsa per vada linter aqua. » Item Naso F. VI, 405 : « Qua Velabra solent in Circum ducere pompas, Nil præter salices cassaque canna fuit » et ibid. vs. 39, « Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres, etc. » Vid. P. Aurelius Vict. de Reg. XIV urb. Romæ, et e recentt. Pompon. Lætus de Rom. Antiq. et Martianus, lib. IV, cap. 7. Porro in Velabro multæ erant caseariæ, seu tabernæ, ubi veteres caseos reponebant, et fumos bibere instituebant : recens enim ille caseus fistulosus erat, et facile hauriebat fumum; et quos sic caseos infumabant, cunctis præferendi habebantur; vid. sup. not. 1. — *Sapit*. Nulla sequente voce adjectitia, nullo adverbio, pro boni, eximii, *delicati* saporis esse, vel simpliciter saporem habere. Parum enim discrepantiæ est, inter illud quod insipidum et id quod male sapit. Et sic gallice dicimus de fructibus, carne et omnis modi eduliis, *avoir du goût*, quod in bonam partem, invalescente usu, fere semper accipitur. Sic e contrario in malam partem dicitur *olerè*, et gallica lingua *sentir*. ED.

XXXIII.

CASEI TREBULANI.*

TREBULA nos genuit; commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Τρεβλῆθεν γενόμεσθα, διπλῆ χάρις ἔσεφεν ἡμᾶς,
Εἴθ' ἡμᾶς βραχὺ πῦρ δάμναται, εἴτε λιβάς.

* Nec codd. hic variant, nec libri prælo excusi.

1. *Trebula nos genuit.* Vicus in Sabinis de quo jam nos ad lib. V, epigr. LXXI, v. 1. Hinc casei Romam afferebantur, qui grati erant saporis, sive tosti, sive aqua macerati.

— *Commendat gratia duplex.* Usus duplex nobis esse potest, et duobus modis cum suavitate in cibum paratur.

2. *Sive levi flamma.* Sive torremur. *Sive domamur aqua.* Sive descobinati maceratur jure.

XXXIV.

BULBI.*

QUUM sit anus conjux, et sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Γραῦν μὲν ἔχων γαμετήν, τὰ μέρη δ' ὑπὸ γαστρὶ νεκρωθεῖς,
Μηδὲν ἔχουσι, βόλβων πρὶν κορέσασθαι, ἄκος.

* *Bulbi*, qui græce βόλβαι, gallice *oignons*, et *ail*. ED,

2. *N. a. bulbis.* « Fabrorum betis insipida magis lect. Extra omnem dubitationis aleam a Poetæ manu fuit *N. a. bulbi quam satureia potest.* » *De Rooy.*—*Bulbis.* Romani bulbum vocant allium agreste, alii marinum. Genus est cepæ non absimile ascaloniæ. Venerem maxime exci-

tare credebatur; itaque ex his cum nucleis pineis, eruca, pipere, in nuptiali cæna sponso ferculum parari solitum. Alex. ab Alexandr. lib. II, cap. v. Citat Athenæus lib. II, cap. 23, adagium quod ad hoc pertinet: Οὐδὲν σ' ἐνήσει βελβός, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχης. Quem Iambicum sic Iambico reddas: Nil te juvabit cepe, si nervis cares.

XXXV.

LUCANICA.*

FILIA Picenæ venio Lucanica porcæ;
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Πικηνῆς ἀλλὰς γρομφαίνης εἰμὶ γένεθλον,
Χιονέοις πολτοῖς ζέμμα δοθησόμενος.

* *Lucanica* edd. vett. quas sequitur ed. *Barb.*

1. *Filia Picenæ*, etc. Farcimen e concisis carnibus porcæ in agro Picentino natæ. Vid. lib. IV, epigr. XLVI, vs. 8, et lib. V, epigr. LXXVIII. Cf. etiam de iis fuse disserens Apicius lib. II, cap. 6 toto. Tribus locis etiam Athenæus de Lucanicis,

quas et isicia dicit. Quanquam videtur has ab illis sejunxisse Apicius, lib. II, cap. 1.

2. *Cibat pro datur* cod. Beverl. et cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Pultibus*, etc. Oras patinæ habentis pulvem ex tritico candidam ergo et niveam ut triticum, cingit. Sic et hodie ad brassicam apponuntur.

XXXVI.

OLIVÆ.*

ἮΕC, quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Πικηνοῦ τριπτῆρος ὑπεκκλεφθεῖσα, καὶ ἀρχὴ
Ἡ ἐλάα δαιτὸς, καὶ τέλος αὐτὴ ἔφυ.

* *Cistella olivarum* MS. Beverl. et ed. *Barb.* — Olivæ nomen est commune et arbori qua baccæ feruntur et ipsis baccis, quæ proprio magis nomine colymbades dictantur. Dioscorides, lib. I, cap. 138. De arbore Plinius, lib. XV, de satione et cultu Columella, Cato, Palladius. Hic vero patet de

baccis olivarum agi, non de arbore.

1. *Subducta*. Hoc est, oliva integra, ex qua scilicet oleum non est expressum. Lib. I, epigramm. XLIV, 8: «Nec de Picenis venit oliva cadis.»

2. *Inchoat*. Ut cibi appetentiam incitet. Sic et apud nos hodie. — *Finit*. Ut fastidium arceat.

XXXIX.

HÆDI.

LASCIVUM pecus, et viridi non utile Baccho,
Det pœnas : nocuit jam tener ille Deo.

Τινύσθω ἰταμὸν καὶ Βάκχῳ ζῶον ἀπεχθές·
Τὸν θεὸν ἤδη γὰρ βλάψε νεογνὸν εἶον.

1. *Lascivum pecus.* Hædus, qui
victima est Baccho sacra, quod so-
leat corrodere vites.

2. *Deponas* pro *Det p.* cod. Be-
verl. *Dat* edd. vett. et Delph. *Sed*
tamen pro *jam tener* Beverl. —
Det pœnas, etc. «Mactabitur hostia
Baccho, Quod teneras vites roserit
ipse tener.» Ovid. *Fastor.* I, 357:
«Rode, caper, vitem : tamen hinc

quum stabis ad aram, In tua quod
spargi cornua possit, erit.» Quod sic
græce imitatus Evenus, *Antholog.* Ἄ.
κίφ. σ'. Κῆν με φάγγες ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως
δ' ἔτι καρποφορήσω Ὅσσην ἐπισπείσαι
σοὶ, τράγε, θυμένῳ.—*Lascivus* epith.
solemne ad hircos, capreas, etc.
«Florentem cytisum sequitur lasciva
capella.» Virg. *Ecl.* II, 64. Hædilli
mensis grati : tenerrima eorum caro.

XL.

OVA.

CANDIDA si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.

Εἰ κροκίνοισι λευκὸν λεκίθου περιδέδραμεν ὕδωρ,
Ὁ σκόμβρων ἰχώρ ὡὰ κεραννύετω.

1. *Candida.* Ova recentia undam
albam, seu liquorem lacteum ha-
bent, quem cum scombrorum garo
commiscendum esse docet Poeta.—
Croceos. Quod in aqua sulphureum
induit colorem ovi recentis vitellus,

ut Plinius tradit. Dicitur *Hesperius*
liquor, hoc est, Hispanus, quia ex
Hispania Romæ mittebantur scom-
bri, de quibus supra. De garo jam
passim diximus, et copiose infra
agetur huj. lib. epigr. cii.

XLI.

PORCELLUS LACTENS.

LACTE mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, et Ætolo de sue dives edat.

Ἀκρίτῳ μεθύοντα γλάγει μοὶ δέλφακα θέσθω
Πλούσιος, Αἰτωλοῦ δ' αὐτὸς ἔδοιτο κάπρου.

1. *Lacte mero*, etc. Malo edere lactentem porcellum, quam aprum: ille mihi sapit, non invideo lautis aprum. Lactens autem porcellus (non lacteus, ut Domitius) est «modo raptus ab ubere matris», qui nil aliud gustavit quam lac de porca matre. Sic lactentes pueri, infantes. Sic tenerrimus et lacte ma-

tris solo hactenus pastus onager, lalisio; infra, epigr. xcvi. — *Pigræ matris*. Periphrasis effœtæ porcæ. Leg. Plin. lib. VIII, cap. 51.

2. *Ætholio* cod. Beverland. — *Et Ætolo*, etc. Et diviti apponatur pro more lautorum aper, vel Arcadici vel Ætoli illius æmulus. Lib. Spect. epigr. xv, vs. 1.

XLII.

APYRINA ET TUBERES.

NON tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

1. *Tibures et aprina* cod. Beverl. — *De Libycis tuberes*, etc. In Africa primum nata, sed translata et alibi postea sata poma, quibus, quod iis lignosus abesset nucleus, nomen ἀπύρηνον inditum fuit ex α privativo, et πυρήν, nucleus. Plin. l. XIII, cap. 29, et l. XV, cap. 14: «Æque peregrina sunt zizipha et tuberes, quæ et ipsa non pridem venire in Italiam. Hæc ex Africa, illa ex Sy-

ria Sext. Papinius, quem consulem vidimus, primus utraque attulit, D. Augusti novissimis temporibus», et quæ sequuntur. — Malorum granatorum genera duo: alteri nucleus est lignosus: alteri aut nullus, aut certe minimus; ob id *apyrenum* vocatur. *Brod.*

2. *De Nomentanis*, etc. Nata in villa mea in agro Nomentano, qui ad decimum ab Urbe lapidem.

XLIII.

IDEM.*

LECTA suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes : quid tibi cum Libycis?

* De iisdem fructibus idem dicit, ac in præcedenti epigrammate: nasci nempe tam exquisiti saporis in suburbanis Italiæ agris apyrina et tuberes quam in Libya; inutile ergo Libyam ad hæc habenda et edenda, magna cura, sumptibus magnis explorare.

1. *Arpinia* exhibet cod. Beverl. repugnantibus metro et sensu.

2. *Vernæ tuberes.* Hoc est, nati domi aut in vicinis agris; nam vernæ ille appellabatur servorum qui in domo natus erat, non emptus aut quovis alio modo paratus. *Vernæ* autem supplend. ante *apyrina*. Hic autem sensus exoritur: Quomodo sint ii optimi, quid petis peregrinos tuberes? Quorum meminit Suetonius in Domitiano, cap. 16.

XLIV.

SUMEN.

Esse putes nondum sumen; sic ubere largo
Effluit, et vivo lacte papilla tuiet.

Οὐχ ὑπογάσριον ἂν φαίης τόσος οὔθατος ὄγκος,
Καὶ θηλῆς, σπαργῶν ἀργινόεντι γλάγει.

1. *Potes* pro *putes* cod. in marg. ed. Par. 1617. et sic ed. *Barbou* — *Sumen.* Farcimen nempe quod fiebat ex mammis suillis post primum partum resectis, antequam illis os admovisset foetus: tanta autem lactis copia redundabant papillæ in isto sumine, ut non crederes hoc esse farcimen e papillis suis a partu cæsæ resectis, sed sui

adhærere adhuc, in sue etiamdum vivere papillæ viderentur. Scriberius pro *nondum sumen* vult scribi *nudum sumen*. Nam alias, inquit, cum muria thynnive liquamine aut garo apponebatur. — *Esse* autem hic est non verb. substantiv., sed *edere*. Haud scio quam bene.

2. *Effluet ut niveo*, cod. in marg. ed. Par. 1617. *Niveo* quoque MS. B.

XLV.

PULLI GALLINACEI.

SI Libycæ nobis volucres, et Phasides essent,
Acciperes : at nunc accipe cortis aves.

Εἰ γαίης Λιβύης, καὶ Φάσιδος εἴχομεν ὄρνεις,
Ἐλλαβες ἂν· νῦν δ' αὖ δέξο κατοικιδίας.

1. *Libycæ nobis volucres.* Id est, si mihi copia esset peregrinarum avium, illas mitterem; quæ quum desint, boni consule domesticas.— *Libycæ.* Numidicas gallinas dicit.

Vid. lib. III, epigr. LVII. — *Phasides essent.* Qui et Phasiani; infra, epigr. LXXII.

2. *Cortis aves.* Vid. lib. VII, epigramma xxx, vs. 1.

XLVI.

PERSICA, NUCIPERSICA.*

VILIA maternis fueramus præcoqua ramis;
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

* *Persica præcocta* MS. Beverl. « *Persica, Nucipersica.* Hoc lemma Aldina editio et Junii liber habent. Nescio qua de caussa in Junii editione mutatum sit. Alii *Persica*, omisso *Nuc.* legunt.» Marg. cd. Par. 1617. Vult Salmasius, legendumque *Præcoqua nucipersica*; hæc sunt *Armeniaca nucipruna* Plinii. *Præcoqua* vel *præcocia*, *Persica* sunt; atque ita dicebantur, *Persica præcocia*, ut *Persica duracina*, *Asiatica*, etc. — *Persica.* Quippe quæ ex Perside allata. gallice *pêches*: *nucipersica* vero illa dicuntur, quod a nucleo difficulter solvantur.

1. *Præcoqua.* Vox parum usitata ante Martialem, nec tamen nulli usurpata. Columell. lib. XII, cap. 31: « Uvas præcoquas quam maturissimas legit.» Senec. Thebaid. Act. I: « Lethura præcoqui fati tulit.»

2. *Rara* cod. Beverl. — *Nunc in adoptivis*, etc. An quia in nativa stirpe vilia; pruno insita fiunt nobilia? ut habet Pallad. lib. IV de Inst. An quia in sua Perside noxia et venenosa; sed translata, mutatoque cælo et solo dulcia fiunt et salubria? ex opinione Columellæ. Vid. Alciat. emblem. 142, et Claud. Minoem et Isidor. lib. XVII, c. 5.

XLVII.

PANES PICENTINI.

PICENTINA Ceres niveo sic nectare crescit,
Ut levis accepta spongia turget aqua.

Τοῖος ὁ Πικέντων ζυμοῦται νέκταρι λευκῷ
Ἄρτος, σπόγγος ὅπως ἠϋξετο νᾶμα πιῶν.

1. *Sine nectare arescit* cod. in marg. ed. Par. 1617; quam falso patet vel ex rhythmō, quem hic tres longæ rumpunt et tollunt. — *Picentina Ceres*. Hoc est, panem Picentinum aridum ex alicæ seu tritici optimi macerati materia factum;

qui sic durus erat, ut non nisi lacte madefactus comedi posset. Plinius lib. XVIII, cap. 11. Panes autem ii Picentini videntur buccellati esse Ammiano. Athenæus, lib. III, vocat panem capyrium, hoc est, aridum, friabilem, hiulcum.

XLVIII.

BOLETI.

ARGENTUM atque aurum facile est, lænamque togamque
Mittere : boletos mittere difficile est.

Εὐχερὲς ἀργυρίου, χρυσοῦ τ', ἐρίου τε, καὶ ἔσθους,
Τῶν δὲ μυκῆτων αὖ δυσχερὲς ἐστὶ δόμα.

1. *Lænamque togamque*. Lib. XII, epigr. xxxvi, 2.

2. *Nam mihi pro mittere* cod. *Beverl.* — *Boletos mittere*. Fungorum nempe genus nobilissimum et delicatissimum, lib. I, epigr. xxi, vs. 2. Hanc autem vocem aiunt a græco βῶλος derivari quod ea lingua, glebam et rubricam pictoris so-

nat, quia nempe dehiscentes boleti rubent forinsecus, interius luteo colore. Cæterum vide quæ de iis Cælius Rhodig. lib. II, cap. 16; Plin. lib. II, cap. 22; Apicius lib. VII, cap. 15. — *Difficile est*. Ipsi malunt edere, quam amicis mittere. Vel quia rarissimi sunt, et ipso auro pretiosiores.

XLIX.

FICEDULA.*

QUUM me ficus alat, quum pascar dulcibus uvis;
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Βροσκομένη γλυκερόν σῦκον καὶ βότρυας ἠδεῖς,
Τίπτ' ὄνομ' οὐ μᾶλλον δῶκεν ὁ βότρυς ἐμοί;

* Ficedula avicula est lusciniæ simillima, tum colore, tum magnitudine, Græcis dicta συκαλίς, Latinis ficedula, quod ficorum maturerentium tempore pinguis fiat et capiatur. Vid. tamen infra notata ad vers. 1. Gallice vocamus *becfigue*. Eas autem Romani in epulis delicatiores valde appetebant; et refert Suetonius donata quadam die a Tiberio Cæsare Asellio Sabino HS. ducenta, (Tab. num. Tom. I. fin.) ob institutum ab eo in quodam dialogo certamen inter boletos, ficedulas, ostrea et turdos. Turdos autem, boletos et ostrea in deliciis apud Romanos fuisse nullus ignorat qui vel Petronii, vel Juvenalis vel Martialis nostri pauca delibavit; et si quis ignoret, adeat hujus lib. epig. XLVIII, LI, LXXXII. ED.

1. *Quum me ficus alat, quum, etc.* Aristoteles tamen ficedulas docet vermiculis ali. Verum id quidem, nec vetat tamen quin autumnii tempore et ficus et uvas libentissime edant. Varro de lingua latina ad vocem *ficedulam*: « ficuum, inquit,

esu pinguis fit». Athenæus, *Deipnosophistarum* lib. II, de συκαλίσιν (quod supra vidimus idem sonare cum ficedulis) idem testatur. Idem Eusthatius. Et hinc forsitan illud proverbium Græcorum: Σῦκα φιλ' ὀρνίθεσσι · φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσιν, hoc est, Gratæ avibus ficus sunt, sed plantare recusant.

2. *Cur potius nomen non dedit uva mihi?* Hoc est, cur non potius dicor uvedula quam ficedula? Uvedula enim ab *uva* et *edere* eodem modo derivetur quo a *ficu* et *edere* ficedula, eandem nempe terminationem literarum finalium loco accipiens. Hic Raderus interroganti Martiali respondere tentans: An quia serius cognitum est ficedulam uva vesci, et prius ficu? Quod ingeniosum; at ubi legit Raderus, quamve ob causam conjicit, cognitum serius uva ficedulam vesci? Notat mox idem interpretes Græcos nomen huic avi ab uva etiam dedisse, si modo ἀμπελίδες (sic aves quædam ab ἀμπελος, *vitis*) eadem sunt cum συκαλίσιν.

I.

TUBERA.*

RUMPIMUS altricem tenero quæ vertice terram
Tubera, boletis poma secunda sumus.

Ῥηγνύντα κρηθεν ὕδνα γαίνν μητέρα
Τὰ δευτερεῖα τῶν μυκῆτων ἴσχομεν.

* *Tubera*. Gallice *des truffes*. Vid. de his quæ in nota 2.

1. *Tenero quæ vertice*. Sic Gruter. e MSS. Vid. infra, epigr. cii. *De vertice* habent edd. Ald. Junt. Colin. Farnab. — *Rumpimus altricem tenero quæ vertice terram*. Foris quippe prodeunt tubera, ubi terra mollior est.

2. *Tubera*. «*Tubera*», inquit Isidorus de Re rustica lib. XVI, «*tumor terræ* prodit; eaque caussa illis nomen dedit.» Hoc falsum esse ex Plinio, Dioscoride et Galeno discas, qui tubera radicibus ademerunt. Namque Plinius, in rerum naturalium historia, lib. XIX, cap. 2: «*Tubera* vocantur hæc undique terra circumdata, nullisque fibris nixa aut saltem capillamentis, nec utique extuberante loco in quo gignuntur, aut rimam agente, nec ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse possim dicere, neque aliud quam terræ callum. Siccis hæc fere et sabulosis fruticosisque nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem cotonei, etiam libræ pondere. Duo eorum genera: arenosa

et dentibus inimica; altera sincera. Distinguuntur et colore rufo, nigroque et intus candido. Laudatissima quæ Africæ crescunt, etc.» Mox eadem describit: «*De tuberibus*, inquit, hæc traduntur peculiariter: quum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci et maxime e tonitribus, nec ultra annum durare; tenerrima autem verna esse, Asiæ nobilissima, circa Lampsacum et Alopeconnesum.» De iisdem idem fere Dioscorides lib. II, cap. 139. — *Poma secunda*. Poma hæc vocat improprie; sed nil refert. Non ergo boletis anteponebantur apud Veteres tubera: res mira sane, quum optime hodiernis gulis cum Romanis helluonibus conveniat circa omnia, apros, verbi gratia, Phasianos, rhombos, anserum anatumque jecinora, etc. Unam tamen e primariis sedibus obtinere, teste vel Juvenale, sat. V, vs. 116, sqq. «*post hunc (aprum) tradentur tubera, si verum Tunc erit, et facient optata tonitrua cœnas Majores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit, O Libye! disjunge boves, dum tubera mittas.*» Ed.

LI.

TURDORUM CORONA.*

ΤΕΧΤΑ ROSIS fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Ἴα γε ῥόδων τάχα σοὶ στέφανος νάρδου τε συνεσώς·
Ἴα κικλῶν δὲ παγεῖς εὔαδε μᾶλλον ἐμοί.

* *Turdorum corona.* Pro hoc titulo *Turdorum Decuria* legitur in veteribus codicibus, ut ait Turnebus lib. XXV, cap. 28. Intellige coronam textam turdis, nempe e vimine undique pendentibus. Vid. not. ad va. 2. -- *Corona.* De coronis more Veterum in convivio usurpatis jam ad lib. III, epigramm. XLVII, 19, et passim egimus. Quibus e floribus coronæ et quot earum genera fuerint, Athenæus, Deipnosophistarum lib. XV, fusissime. Cf. Tertullianus de corona militis, Plinius, Hist. Nat. lib. XXI, capp. 2 et 3, Clemens Alexandrinus, Pædagog. lib. II, cap. 8.

1. *Texta rosis.* Quibus coronabantur Veteres in lautis conviviis. Vid. not. præced. — *Divite nardo.* Ubique sua nardo laus, qui delicias pariebat simul et oculis et naribus: apud Horatium, lib. IV, od. XII, vs. 17; item apud Nostrum, lib. II, epigr. LIX; lib. III, epigr. LXXV; lib. IV, epigr. XIII; lib. XIII, epigr. CI. *Divite* autem dixit Martialis, quia apud ditiorum et elegantiorum mensas solas in usu erat ob immensum pretium illud unguenti genus; et « in conviviis », refert Plinius, lib. XXI, cap. 3.

« lautissimum habetur e nardi folio coronas dari. » ED.

2. *De turdis,* etc. Serta nempe redimibant eam lancem qua turdi apponebantur. Quæ aves apud Romanorum delicatiores tunc exquisitissimæ habebantur. Martialis infra, hujus libri epigr. XCII: « Inter aves turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes mattea prima lepus. » Vel accipe potius de vimine in orbem flexo, a quo pendent turdi: hinc mihi corollam, dicit, texe; quam et gestabo libens, et postea coctam devorabo. Sic hodie coronæ feruntur venum in forum, e viminis circulo seu ramo in orbem flexo, factæ. Favet huic interpretationi ipsemet Auctor supra lib. III, epigr. XLVII, 10. « Illic coronam pinguibus gravem turdis. » — Nec dubium, quin ea interpretatione verum sensum attigeris. Epigrammatarius nempe noster circa voces ludum quærit. Atqui num salse jocaretur, num lepide, si eodem semper sensu *Coronam* usurparet? Contra nonnihil est acuminis in sensus variatione; de rosea, myrtea, liliacea corona cani putabatur, ille de inexpectata corona avium canit. ED.

LII.

ANAS.

TOTA quidem ponatur anas : sed pectore tantum,
Et cervice sapit : cætera redde coquo.

Νῆσσαν ὄλην παράθες· τὸν δ' αὐχένα νόσιμός ἐστι,
Καὶ τὰ ζέρνα· τὰ δ' αὖ λοιπὰ μάγειρος ἔχει.

1. *Anas*. De anatum natione et variis generibus multa habet Plinius, nonnulla Athenæus, Dipnosophist. lib. IX; sed fuse omnia ornithographi. De anate etiam consuli potest Joann. Bruyerinus de Re cibaria l. XV, cap. 31.—*Sed pectore*. Pectus enim et cervix gratioris sunt sapo-

ris. Hic vero cum multis libenter quæsierim, quomodo de jecinore nil cecinerit, quod optimum, immo et anserino longe melius, famam sibi apud Romanos architriclinos conciliare debuerat; nisi forte *pectore* hic pro *jecore* positum ab illo fuerit. Ed.

LIII.

TURTUR.*

DUM pinguis mihi turtur erit, lactuca, valebis,
Et cochleas tibi habe : perdere nolo famem.

* Apposito pingui turture, abstinendum a lactucis dicit et cochleis, veluti vilioribus, stomachumque servandum delicatioribus.

1. *Lactuca, valebis*. Puto scripsisse auctorem : *lactuca valebit*. Alloquitur enim convivatorem, vel quicumque cœnam instruxit : quod apparet ex illo. — *Dum pinguis mihi turtur erit*. Turturem sic a voce appellatum per Onomatopœam tradunt Antiqui; nam græce τρύζειν turturum

vocem proprie denotat, et τρύζειν a τρυγῶν derivatur, unde per levem mutationem *turtur*.

2. *Prodere* cod. Beverl. — *Et cochleas*. H. e. Nolo cochleas, quæ sunt species conchyliorum (minus nempe delicatæ quam hæc Romæ tanti æstimata ostrea, echini, etc.): hoc est, dum habebō cibos delicatiores, a vilioribus abstinēbo. — *Perdere nolo famem*. Hoc est, Nolo consumere famem in comedendis lactucis et cochleis. Vid. sup.

LVI.

VULVA.

Τῆ fortasse magis capiet de virgine porca;
Me materna gravi de sue vulva capit.

Ἡ ἀτόκοιο συὸς τάχα σοὶ καταθύμιός ἐστι
Μῆτρα μᾶλλον· ἐμοὶ δ' εὐαδεν ἡ τοκάδος.

1. *Capiat* MS. in marg. ed. Par. 1617, et sic *Barb.* — *De virgine porca.* Vulva virginis suis, sterilis, utpote castratae. Vid. Plinius, lib. VIII, cap. 51.

2. *Magis pro gravi* MS. Beverl. — *Materna*, etc. Vulva porcaria, id est, suis ante editum partum enectæ. Vide Plin. lib. XI, c. 37; et supra, epigr. XLIV.

LVII.

COLOCASIA.*

NILIIACUM ridebis olus lanasque sequaces,
Improba quum morsu fila manuque trahes.

Νειλιακοῦ λαχάνου γελάσεις ἐριώδεα ρυσμὸν,
Εἰλικτούς ἔλκων χερσὶν, ὀδάξ τε μίτος.

* Nihil est, sive in codd. sive in in libris, discordiæ circa illius epigrammatis scripturam.

1. *Niliacum.* Colocasia faba est Ægyptia, Græcis κώαμος Αἰγύπτιος. Elevat poeta et contemnit ejus gustatum, propter inhærentes quasi fusos et fila quæ sæpe, ubi morsa illa est, dentibus adhærescunt et extenduntur, nec in gutturem comedenda descendunt. Vid. et de hoc leguminis genere Dioscorides, lib.

II, cap. 99; Theophrastus, lib. IV, cap. 10; Athenæus, lib. III, cap. 1; Plinius, qui lib. XXI, cap. 15: « In Ægypto nobilissima est colocasia, quam cyamon vocant aliqui. Hanc a Nilo metunt, caule, quum coctus est, araneoso in mandendo », etc.

2. *Fila trahes.* Lib. VIII, epigr. XXXIII, 13, « Lenta minus gracili crescunt colocasia filo. » Hinc constat « colocasia » esse feminini generis simul et neutrius.

LVIII.

JECUR ANSERIS. *

ASPICE, quam tumeat magno jecur anserem majus!
Miratus dices, Hoc, rogo, crevit ubi?

Χηνός, ὄρα, μεγάλου πῶς μείζον αἰείρεται ἦπαρ·
Θαυμάζων φήσεις, ποῦ τόδ' ἐπηνυξάνετο;

* Jecur anseris notissimæ avis Romani, ut nos hodie maxime probamus, potissimum probabant. Plin. X, 26: «Nosti sapientiores qui (anserem) jecoris bonitate novere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit; exemptum quoque lacte, mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est quis tantum bonum invenerit, Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Romanus.» Alio loco: «In omni jecinorum genere præstat anserinum tanquam humidius, tenerius et suavius. Adhibetur et ars jecori suum, sicut anserum: inventum M. Apicii ficu, carica saginatis, a satietate necatis, repente mulsi potu dato.»

1. *Tumeat.* Mulso, lacte, ficu, et carica, ut supra jam indicavimus, fartum. Athenæus, Deipnosophistarum lib. IX, cap. 8.: Χηνός ἦπαρ περισπούδαστον κατὰ τὴν Ῥώμην. Μοχ: Χηνείων δὲ ἠπάτων (περισπούδαστα δὲ ταῦτα κατὰ τὴν Ῥώμην) Εὐπόλις μνημονεύει. Quin et iis temporibus frequentissime apud luxuriæ cupidissimos et lautissimum quemque, teste eodem Athenæo, anseri-

bus saginandis adhibiti servulibus inde inditum nomen χηνός — *Jecur majus.* Propter illa fartum jam diximus, mulso cet, lacte, ficu, et carica. Si Farnabius. Hor. lib. II, Sat. vi «Pinguibus et ficis pastum anseris albi.» Juven. Sat. V, «Anseris ante ipsum magni anseribus par.» Ovid. Fas I, 453: «Nec defensa juvant tolia, quo minus anser Det jeculances, Inachi lauta, tuas.»

2. *Hoc, rogo, crevit ubi?* lina nempe jecur ita crevit factum sed hospes imperitus, et lina artes et gulæ ingenium experire nondum edoctus (nam ut infra, epigramm. LXII: «ingula est»), primum jecinorum magnitudine perspecta, putabatur alicubi terrarum esse majores, et quæret ubi tantum scantur, aut unde ferantur. sensum Martialis nemo, oporteret negabit. Nam qui in saginatis exponunt, non de jecur sed toto anserem loquuntur. Hi de jecinore tantum est sermo nisi propriis verbis, Raderus:

LIX.

GLIRES.*

TOTA mihi dormitur hiems, et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Χειμῶνος μὲν ὄλου κνώσσω, πίων δὲ τότ' εἰμί,
Ὀππῆμος μηδὲν πλὴν με τὸ κῶμα τρέφει.

* Vid. Heinsius ad Ovid. epist. XII, 170.

— *Glires*. Genus sunt murum, quibus a *gliscendo* nomen fuit: nam *gliscere est crescere*. Tacite nimirum ac veluti nescientes illi crescunt, dum hieme tota dormiunt et immobiles quasi mortui jacent, tempore æstivo reviviscunt. Plinius lib. VIII, cap. 52: «Glires...leges cen-

soriæ princepsque M. Scaurus non alio modo cœnis ademere, quam conchyliam aut ex alio orbe convectas aves, etc.» Habes et lib. XXIX, cap. ultimo, quid prosint stomacho, quid noceant. Apponuntur apud Petronium in Trimalcionis cœna, «melle et papavere sparsi». Cæterum, de Glirium apparatu tradit Apicius lib. VIII, cap. 9.

LX.

CUNICULUS.

GAUDET in effossis habitare cuniculus antris;
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

1. *Gaudet inoffensis* exhibet MS. Beverl.

2. *Monstravit*. «Aliud genus oppugnationis est subterraneum atque secretum, quod cuniculum vocant (Gallica lingua *mine* id vocatur.) a leporibus, qui cavernas sub terris fodiant, ibique conduntur.» Vegetius lib. IV, cap. 24; ubi vide quæ notavit Godescalch. Steweichius. Cf. item Livii, Frontini, Polyæni

varia loca. Omnes prope historici meminere cuniculorum. Et quidem nullum nostris quoque temporibus stratagema usitatius; at multo etiam terribilius quam antiquorum sæculis fuerat, ob nitrum et sulphureas massas et flammivomos globos quibus non tantum corruunt expugnataram urbium muri et domus, sed in aera late exsiliunt præcipites et disjecti hac illac feruntur.

LXI.

ATTAGENÆ.*

INTER sapes fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

Ἐν ὀρνιθείοις νοσιμωτάτη χυλοῖς
Τῶν ἀτταγήνων ἔς' Ἴωνικῶν γεῦσις.

* *Atagenæ* per unicum *t* exhibent edd. Ald. Junt. Colin. et Farnab. *Ateganæ* ed. Par. 1617.—Varie scribitur istud vocabulum, tum apud Græcos, tum apud Latinos. Nam in Græca lingua ἀτταγᾶς, ἀττάγας, ἀτταγήν et ἀτταγή. Oppianus, Venat. lib. II, vs. 405. dixit ἀττα-

γίων, genitiv. plur. Item Latinorum, Horatius dixit *Attagen Ionicus*, Martialis, *Attagena*. — *Attagenarum*. Aves nempe sunt gustui gratissimæ. *Ionica* dicuntur, quod maxime in Ionia nascantur. Vide et cf. Plinium lib. X, cap. 49, et Athenæum, Deipnosoph. lib. XIV.

LXII.

GALLINA ALTILIS.*

PASCITUR et dulci facilis gallina farina,
Pascitur et tenebris : ingeniosa gula est.

Οἶκῳ ἐν ὀρφναίῳ σιτίζεται ὄρνις ἀλεύρῳ
Ἡδέϊ· λιχνείης ὄξυ σοφισμα πέλει.

* *Gallina altilis*. Ea dicitur quæ domi saginatur farina quidem et tenebris, « quod motus earum et lux pinguedini inimica ». Varro lib. III, cap. 9. Item Columella : « Locus ad hoc desideratur, calidus maxime et minimi luminis. » Conf. etiam Seneca, epist. 123. —

Ingeniosa gula est. Plinius lib. X, cap. 50. « Invenit mille artes viasque deliciarum luxus et gula. » Gulones isti ingeniosi sunt ad luxuriam. Sic lib. XIV, epigr. cxvii. Sic et Petronius : « Ingeniosa gula est, Sicala scarus æquore mersus Ad mensam vivus perducitur. »

LXIII.

CAPO.

NE nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes : nunc mihi Gallus erit.

1. *Ne nimis.* Gallus gallinaceus facilius saginatur, postquam castratus est. — *Exhausto*, etc. Per coitum nempe, quo vires deperant et quidquid affuerat modo pinguedinis evanescit. — *Macresceret.* Vide supra.

2. *Gallus erit.* Æque castratus erit, ac illi sacerdotes Cybeles qui Galli dicebantur exsectis virilibus. Lib. II, ep. XLV. — Rectius forsitan credes voce Gallum hic indicari

non Cybeles duntaxat sacerdotem, sed et gallinæ maritum, qui latina lingua Gallus Gallinaceus, mox brevitas studio Gallus vocatus fuit; quasi nempe diceretur: « Ne miserum exseca, Gallus est; exseca, Gallus est »; vel alio modo: « Ante et postquam exsecetur, Gallus ille est. » Res mira! sive vir, sive eviratus, idem ille est; nec ulla, præsentem absente sexu, differentia in nomine est. ED.

LXIV.

IDEM.

SUCCUMBIT sterili frustra gallina marito;
Hanc matris Cybeles esse decebat avem.

Τηῦσίως ἀγόνῳ ὑποπέπτωκ' ὄρνις ἀκρίτη·
Τοῦτο θεᾶς Κυβέλης ὄρνεον εἶναι ἔδει.

1. *Frustra.* Quum maritum habeat Gallum seu castratum. Vide epigr. præcedens.

2. *Matris Cybeles avem.* Namque Deæ illius sacerdotes, quibus nomen Galli, Corybantes, Curetes, exsecti erant. Mater autem Cybele

dicta erat, sive quod deos et deas omnes genuisset, sive quod eadem esset ac Terra, communis omnium sive hominum et animantium, sive mutarum et immotarum rerum mater, et ut aiebant uno vocabulo Græci, παμμάτων. ED.

LXV.

PERDIX.

PONITUR Ausoniis avis hæc rarissima mensis;
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

1. *Ponitur*, etc. Perdix lauta et nobilis ales, magnique pretii, potentium mensis ponebatur, ut et hodie etiam ponitur.

2. *Mandare* Ald. Junt. Colin. Nobis suffragantur Palat. codex et edd. fere omnes. Alii, et ex his præcipuus *Barbou* edidit *mandere*.

Hanc in piscina ludere sæpe soles legunt quidam, et alludunt ad ludum in piscina, qui περίδιξ seu περίδικισμός dictus. — *Hanc in lautorum*. Divitum. Nam 50 drachmis unicam ab Aristippo emptam legimus. Infra Noster ep. 76: « Carior est perdix; sic sapit illa magis. »

LXVI.

COLUMBINI.*

NE violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita si Cnidiae sunt tibi sacra Deæ.

Ἀβληχρὰς ἐπίορκος ὁδᾶξ μὴ βλάπτε πελειᾶς,
Εἴπερ ἐποπτεύεις ἱρὰ θεᾶς Κνιδίης.

* *Columbini*. Hoc est pulli columbarum, qui proprio magis nomine pixonones, græce περιστεριδεῖς (απεριστέρα, *columba*), gallice pigeon-neaux.

1. *Præduro* antiquitus erat lectum. Rec. edd. ut nos. — *Perjuro dente columbas*. Docet enim sequens versus interdictum fuisse columbinorum esum Mystis Veneris, qui initiati erant sacris Deæ Ven. Cni-

diis religiose cultæ, et cui columba sacra. Hinc de Ænea dictum (*Æn.* lib. VI, 193) columbas adspicienti: « Maternas adgnoscat aves. » Hinc Ovid. *Metamorph.* lib. XIII: « Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ. » Cnidum autem, insulam non longe a Caria, maxime coluit Venerem.

2. *Tibi*. Sacerdoti scilicet et Mystæ Veneris.

LXVII.

PALUMBUS TORQUATUS.*

INGUINA torquati tardant hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Φᾶσαι ἐπαμβλύνουσι γονῆς μένος ὀρμοδέραιοι·
Μὴ πτηνὸν τόδ' ἔδοιθ', ὅς γε φίλοιφος ἔφυ.

* *Palumbi torquati* inscribit *Barb.* editor.—*Palumbus torquatus*. Sic dicitur a circulo seu torque circa colum. Propert. IV, v, 63, ait: « Cape torquatus guttura secta columbæ. » Avis casta ex moribus appellatur,

quod comes sit castitatis. Dicitur enim amisso corporali consortio solitaria perpetuum incedere, nec carnalem copulam ultra requirere.

1. *Inguina*. Sensus acriorēs in Venerem, salacitatem.

LXVIII.

GALBULA.*

GALBULA decipitur calamis et retibus ales,
Turget adhuc viridi quum rudis uva mero.

Τοῦρνεον ἢ καλάμοισιν ἀλίσκεται, ἢ ἐ λίνοισι
Χλωρίς, ἔτ' ὀργῶντος βότρυος ὀμφακίου.

* *Galbulæ* habet ed. *Barb.*

1. *Galbina* cod. Beverland. Baptista Pius asserit lectionem *Galbula* quæ ἰκτερός. Annot. Post. cap. 29. — *Galbula*. *Galbulæ* seu *galbes* atque etiam *halbulæ*, aves sunt viridis aut latei coloris: Græcis χλωρίδες dicuntur. Alio tamen nomine vocat Plinius lib. XXX, cap. 11: « Avis icterus vocatur a colore, » flavo scil. « quæ si spectetur,

sanari id malum tradunt, et avem mori. Hanc puto latine vocari *Galgulum*. » Alii tamen affirmant sanari eos qui illam comedunt avem, non qui vident. — *Calamis*. Viscatis nimirum.

2. *Viridi mero*. Hoc est, quum uvæ sunt adhuc immaturæ atque acidi potius liquoris quam lenis et suavis plenæ. Quod nos gallice vocamus *verjus*.

LXIX.

CATTÆ.*

PANNONICAS nobis nunquam dedit Umbria cattas;
Mavult hæc domino mittere dona Pudens.

Παννονικὰς οὐ μὴν Ὀμβρων ἀποδέγμεθα κάττας·
Τάσδε θέλει πέμπειν μᾶλλον ἄνακτι Πόδης.

* *Catta* ed. Schrevel. Farnab.

— *Cattæ*. Avis quoddam genus est, ut putant interpretes. Alii mustelas sylvestres esse opinantur. *Cattas* e Pannonia missas Pudens habitans in Umbria (lib. VII, ep.

xcvii), non sibi servat, sed Romam mittit domino, quem bene alii Domitianum, male alii divitem quemdam patronum intelligunt. De se autem ipse Pudens loquitur.

2. *Dominae* duo Palat. et Arond.

LXX.

ΠΑΥΟ.*

MIRARIS quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere, dure, coquo?

Τὸν ταρσοὺς τοσάκις λαμπροὺς τανύοντα τεθηπῶς,
Πῶς δύνῃ, ὠμόφρων, ἀρταμείϊ προδόμεν;

* Avis etiam infantibus notissima et rerum naturalium scriptoribus omnibus, Aristotele, Plinio, Oppiano, Varrone, Columella, item a nostratibus et recentioribus celebratissima. Carmen est apertum; miratur occidi et vorari posse tam elegantem et venustam avem: sed Apiciorum gula nec elegantiae nec venustati unquam parcit. Ed.

1. *Gemmantes*. Vox ad eximiam pavoninarum alarum pulchritudinem designandam poetis, immo et omnibus scriptoribus, sæpe usurpata. Hac volunt quidam innui magno olim pretio emptam avem et ex Asia in Europam invectam; alii melius, splendorem caudæ cui diceret adpersas gemmas. Ed.

2. *Clune* pro *dure* MS. Beverl.

LXXI.

PHOENICOPTERUS.*

DAT mihi penna rubens nomen : sed lingua gulosis
Nostra sapit ; quid si garrula lingua foret ?

Οὔνομα τὰ πτερὰ δῶκεν ἔρυθρ'· ἡ γλῶσσα δὲ λίχνοις
Νόσιμός ἐστι· τί δ' εἰ γλῶσσα τέτυκτο λάλη ;

* *Ptoricottori* MS. Beverl.

1. *Dat mihi penna.* Φοινικόπτερος, h. e., puniceus alas. Phœnicopterus ergo avis circa lacus et paludes victitans, visu pulchra, et colore decora purpureo; magnitudine ciconiæ, etc. cujus lingua optimi est saporis. Videntur autem permagni fuisse Juv. Sat. XI, 139: « Phœnicopterus ingens. » Vid. quæ de Phœnicoptero fusius nos egimus supra ep. LVII.—Mirum vero fortean videbitur non posuisse nomen in versu poetam et περιφράσει usum esse, quasi hexametri rhythmō repugnant syllabæ, ut in hoc Horatii de Equotutio vel Equotutico: « Oppidulum quod versu dicere non est. » Lib. I, sat. VI. Atqui tamen constat Phœnicopterus e longis tribus quas sequuntur duæ breves. Quamquam et hoc tamen passim fecit et præcipue in hujus lib. epigramm. LXVI, cujus lemma *Columbini*. Optime enim versui inserendum erat vocabulum id e brevi una constans et tribus longis. Maluit tamen cum περιφράσει dicere *tenerus columbas*. ED. — *Gulosis.* Apicio, Heliogabalo, Vitellio. Vid. de hoc Suetonium qui in Vitellio, de immensæ

magnitudinis patina quam clypeum Minervæ, αἰγίδα, πωλιούχον, iste dictitabat: « In hac scarorum jecinora, linguas phœnicopterus, murænarum lactes, a Carpathio usque fretoque Hispaniæ per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit. » Vid. quoque Plinius qui « linguam phœnicopteri » dicit « præcipui saporis », et Seneca qui epist. III: « Miliarios apros, linguas phœnicopterorum et alia portenta luxuriæ jam tota animalia fastidientis et certa membra ex singulis eligentis. » Hanc autem sibi, velut deo optimo maximo pulcherrimam hostiam mactari jusserat Imp. Caius; et illius sanguine sæpe aspergebatur. Cæterum videntur non minus posthac cerebella phœnicopterorum quam linguæ in pretio fuisse. Lampridius in Heliogabali vita: « Heliogabalus, inquit, exhibuit Palatinis ingentes dapes extis illorum refertas et cerebellis phœnicopterorum. ED.

2. *Quid si garrula.* Quum tacita tam grata sit. Forte alludit Poeta ad patinam Clodii Æsopi tragici histrionis refertam linguis avium canovarum. Plinius lib. X, cap. 51.

LXXII.

PHASIANUS.

ARGIVA primum sum transportata carina;
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

Ἀργῶν πρῶτον μετενέχθην νηϊ· πάροιθεν
Γνωστὸν ἐμοῖ, πλὴν τοῦ Φάσιδος, οὐδὲν ἔην.

1. *Argoa* cod. Thuan. — *Argiva carina*. Qua nempe vecti sunt Argonautæ, de quibus jam dictum.

2. *Phasis*. Colchorum fluvius, unde dicti et allati sunt phasiani. Vid. lib. III, epig. LVII, 16. — Post hoc distichon interponit Arondel.

aliud de avi eadem cum lemmate :

PHASIANI DUO.

« Quas Argoa prius transvexit Phase carina, Oris aves sapidi femina virque sumus. » Nec Martiale indignum nobis videtur.

LXXIII.

NUMIDICÆ.

ANSERE Romano quamvis satur Hannibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aves.

1. *Satur Hannibal*. Dum bellum gessit in Italia, pastus est anseribus, et abstinuit gallinis Numidicis, licet deliciarioribus, quia tunc illæ nondum mensis apponebantur, ut aiunt interpretes. De Numidicis dictum lib. III, epigr. LVII. Vel potius intellige Numidicas displuisse Hannibali. — Martialem reor tacite cavillari frivolum sæculi superbiam qui gulæ scientia gloriabatur. Tunc enim et dives et pauper, bonarum artium negligens, delicati viri laudem magis aucupabatur

quam magni et probi; et vix ullum reperire erat cui non placeret magis Petronius ille neronianarum arbiter elegantiarum, quam liberator Capitolii Manlius aut Hannibalis victor Scipio, aut victor ipse tamdiu Romanorum Hannibal. Ex iis enim nullus munditiæ novæ peritus erat, nec callebat quanti mulus et rhombus, quanti lingua Phœnicopteri, quanti murænarum lactes, quanti anserum atque anatum jecinora, quanti gallina æstimanda; barbari sane et rudes viri! ED.

LXXIV.

ANSER.

HÆC servavit avis Tarpeii templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

Ὄρνις ἔσωσε νεῶν Ταρπήϊον ἥδε. Τί θαῦμα;
Οὐ γὰρ ἐγηγερκῶς ἦν θεὸς αὐτὸν ἔτι.

1. *Tarpeia* MS. Beverl. — *Templa*. Quæ a Gallis obsidentibus expugnata fuissent, nisi anseris clangoribus excitati fuissent vigiles. Vid. et conf. Livius lib. V; L. Florus lib. I, cap. 13; et Plutarchi liber de

Fortuna romana et Vita Camilli.
2. *Nondum fecerat illa*. Domitianus qui incensum Capitolium restituit, quod jam alio custode quam Domitiani numine non indiget.— *Ille deos* cod. Beverland.

LXXV.

GRUES.

TURBABIS versus, nec litera tota volabit,
Unam perdidideris si Palamedis avem.

Τὴν στίχα συγχεύσεις, καὶ τὸ στοιχεῖον ὀλεῖται,
Εἰ Παλαμήδειον πτηνὸν ἐν ἐξελάσεις.

1. *Turbabit*, et sonabit pro vol. exhibet MS. Beverl. — *Nec litera tota*. Alii intelligunt Υ, alii vero Δ: quæ sententia videtur melior. Cicero quidem de Nat. Deor. lib. II: «Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? Grues, quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam. Ejus autem summo angulo aer ab iis adversus pellitur: deinde sensim ab

utroque latere, tanquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam efficiunt grues, ea tanquam a puppi ventis adjuvatur, etc.» His Tullii verbis Δ Græcum plane exprimitur. Grues vero Palamedis aves esse dicuntur: ex earum enim volatu quasdam literas didicerat, atque illas homines docuerat Palamedes. Lege Plinium lib. VII, cap. 56. Vid. etiam Nostri lib. IX, epigr. XIV.

LXXVI.

RUSTICULA.

RUSTICA sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
 Carior est perdix : sic sapit illa magis.

1. *Sum.* ed. Farnab. *Rust. sum* p. edd. vett. « Verior mihi videtur lect. MS. Oxon. *Rusticula, an perdix.* » *De Rooy.* « Hæsisti in his, V. C. » ait vir doctus in epistola ad *de Rooy*, « neque extricasti tamen : f. vera latet in Thuan. cod. scriptura, *Rustica si mansi perdix, quid refert si s. i. e.* Bene hæc, sed vs. est heptameter : lego *quid si s. i. e.* et res in vado erit. Similiter in vs. 2 variat cod. noster, et ab editis deflectit. Hi ita fere, *Carior est per-*

dix : sic sapit illa magis. Longe aliter MS. *C. e. p. si s. ista m.* Quod nescio quid habet præ altera elegantiae. » Monet Beverlandus si esse in suo MS. et *Rusticula an* in Vat. — *Rustica sim.* Rusticam autem dictam putem ad contentionem alterius perdicis, quæ elegantior est. *Red.*

2. *Sic sapit illa magis.* Hoc est, nimis sapiunt quæ pluris emuntur. Sic Petronius, « Quidquid quæritis optimum videtur. » Leg. et Horatius lib. II, sat. II. — *Sic. Alii nec.*

LXXVII.

CYCNUS.

DULCIA defecta modulatur carmina lingua
 Cantator cycnus funeris ipse sui.

Ἐνησκούση γλώσση μινυρίζεται ἠδὺ μέλισμα
 Αὐτὸς τυμβωδὸς κύκνος ἑαυτῷ ἑών.

1. *Defæta* MS. Beverl. — *Dulcia.* Poetis et quibusdam philosophis receptum, cycnum mortis præscium cum voluptate et cantu mori. Sed fabulam censebant jam apud antiquos Plinius, Ælianus, alique sanioris iudicii; et poeticum menda-

cium id esse nunc nullus nescit. *ED.* — *Defæta lingua.* Hoc est, jam deficiente lingua : namque *deficere* est λείπασθαι : et *defectus* qui deficit : unde *defectus annis*, de sene. Sic *indefectus* ἀλειπτος : ita vocabantur athletæ qui vinci non poterant.

LXXVIII.

PORPHYRIONES.*

NOMEN habet magni volucris tam parva gigantis?
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

Οὔνομα τοσσίχη ὄρνις ἔχει μεγάλοιο Γίγαντος.
Οὔνομα καὶ Πρασίνου Πορφυρίωνος ἔχει.

* *Porphyriones*. Aves scilicet quibus (si e Veterum testimoniis eas descripsisse gratum erit, nam quænam eæ sint in incerto), rostra et prælonga crura purpureo rubore mirifice exsplendescunt, cæruleus reliquo corpori inest color, albicante in cinerem media caudæ extremæ parte, nigricantibusque oculis. Ælianus, Animant. hist., lib. III, cap. 42, Porphyriona dicit ὠραιότατόν τε ἅμα καὶ φερωνυμώτατον ζῶον, hoc est: «pulcherrimum simul atque celebratissimum (namque male intelligunt nomine suo dignum φερώνυμον) animal.» Idem deinde, lib. V, cap. 28, mira quædam de Porphyrionibus narrat, quæ legas suadeo in ipso auctore. Item Aristoteles et Plin. lib. X, c. 46. *Porphyrion* præterea nominatur in Levitico, c. 2, ubi eum Moses numerat inter immundas aves. ED.

1. *Magnæ* MS. Beverl. et *cicada* pro *gig.* — *Magni gigantis*. Qui dictus est Porphyrion. Horat. Carm. III, ode iv, 54: «Sed quid Tiphoeus et validus Mimas, Aut quid minaci Porphyrion statu? etc.» Hunc Apollonii Scholiasta ad Argonautic. lib. III, scribit filium Sisyphi fuisse et immensa magni-

tudine ita insignem, ut cum Alcycyoneo principatum inter illos Gigantas obtineret, «ausos cælum rescindere fratres». Cæsus est ab Hercule quod Junoni voluisset vim inferre ab Alcæo liberatæ. Gigantem Pindarus, Pyth. lib. Eid. VIII, Apollinis arcu domitum narrat.

2. *Purpurionis* MS. in marg. ed. Par. 1617. Alii *Purpureonis*, quod idem est. Nam in adjectivis quibusdam aut adjectivorum similibus substantivis qui per *eus* aut *eo* desinebant, mos jam nascebatur *ius* aut *io* terminationis loco dicere. Sic *Herculius*. Utrumque vero idem valet, et latine idem sonat ac græce *Porphyrion*: πορφύρα enim græce purpura est; et eo modo πορφυρίων a πορφύρα derivatur quo *purpureo* a *purpura*. Porphyrion vero fuit auriga Neronis factionis Prasinae seu viridis. Vide lib. X, epigr. XLVIII. Vide et aliam Lipsii expositionem hujus epigr. lib. I Quæstion. Epistolic. 5. — *Pr. Porph.* Sensus ergo totius distichi is est: Hanc avem, licet exiguam, habere nomen commune cum magno gigante, miraris? non magis mirum est quam et licet rubram, habere nomen aurigæ factionis viridis.

LXXIX.

MULLUS.*

SPIRAT in advecto, sed jam piger, æquore mullus;
Languescit? vivum da mare, fortis erit.

Τρίγλα συνεισάκτω πνεῖ νωθῆς ἤδη ἐν ἄλμῃ·
Ἐκψύχει; ζωρὴν δούς ἄλ', ἀναφλογιεῖς.

* Sriver. et Arond. *Mulli vivi*.
— De avium delicatissimis hac-
tenus; nunc ad pisces transit No-
ster, et omnium primum nominat
optimum hunc simul et celeberrimum
et ipsi rhombo apud Romanos
fere adæquatum mullum. Namque
aliquando 8,000, immo et 10,000
nummum mullus Romæ constitit.
Juv. « Mullum sex millibus emit. »
Id autem summopere mirabantur,
quod varios moriens colores in-

dueret. Quam ob causam antequam
coquis traderetur, eum gaudebant
mensis vivum apponi et hic vulne-
ratum exspirare. En.

1. *Advecto* Palat. *Adriaco* cod.
Beverl. *Advectos* MS. in marg. ed.
Par. 1617, qui habet et *tam* pro
jam. — *Spirat in advecto*. De nullo
sæpius jam dictum, qui captus lan-
guescit, licet in aqua marina fera-
tur. — *Advecto æquore mullus*. Vase
pleno aqua marina.

LXXX.

MURÆNA.*

QUÆ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere Sole cutem.

Ἡ Σικελοῖς ἤνυχουσα βυθοῖς ἐνι χρωῶτα μύραινα
Οὐ καταβαπτίζειν ἠλιόκαυσον ἔχει.

* Piscis pretiosissimus, cujus lac-
tes præcipue requirebant. Qui-
dam, ut famosus ille Ved. Pollio,
murænas in piscinis sedulo nutrie-

bant, quæ inde murænaria dicta.

2. *Non valet*. Summa enim aqua
innatans sole exuritur, nec amplius
potest curvare se, nec immergere.

LXXXI.

RHOMBUS.*

QUAMVIS lata gerat patella rhombum ;
Rhombus latior est tamen patella.

Εἰ καὶ ῥόμβον ἔχει λοπάς μεγίστη·
Μεῖζων τῆς λοπάδος πέφυχ' ὁ ῥόμβος.

* *Rhombus*, gallice *turbot*, piscis qui romanis Apiciis tunc maxime in deliciis fuit; neque sane recentiores nos ab illorum iudicio recessimus. Quanti autem quosdam rhombos fecerint, argumento esse potest vel illa celeberrima satyra quæ quarta Juven. in lib. reperitur. Ravennæ optimum inveniri dicit Plin. lib. IX, cap. 54. Non silendum præterea triplicem esse hujus vocis *Rhombus*, quæ quidem græcæ originis est, significationem. Illa nempe primo designatur instrumentum

mathematicum magicumque quo sagæ ad lunam deducendam utebantur; tum rota quam agitantess tramam glomerare solent; denique piscis ille de quo in hoc disticho Martialis. ED.

1. *Lata*. Verborum sensus in promptu est, aliquando scilicet rhombum eo latitudinis pervenire ut grandem patinam excedat. Sic Horat. Ser. lib. II, sat. II, 95: « grandes rhombos »; et supra citata satyra Juv. vs. 39: « Incidit Hadriaci spatium admirabile rhombi. » ED.

LXXXII.

OSTREA.

EBRIA Baiano veni modo concha Lucrino;
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

1. *Ebria*. H. e. saturata et pasta in lacu Lucrino prope Baias. Macrobius, in Saturnalium lib. II, cap. 11. « Sergius Orata... primus optimum saporem ostreis Lucrinis

adjudicavit. »

2. *Scyllæ Vat.* — *Nobile garum*. Quo nempe liquamine capta condiuntur ostrea. De garo infra tractabimus ad epigramma cii.

LXXXIII.

SQUILLÆ.*

COERULEUS nos Liris amat, quem silva Maricæ
Protegit : hinc squillæ maxima turba sumus.

Ἡμᾶς Λεῖρις ἔθρεψεν, ὃν ἄλσος ἔρυτο Μαρίκης,
Ἐντεῦθεν σκιλλῶν ἐσμέν ἄθροισμα πολύ.

* *Sillæ* Ald. Junt. Colin. in lem-
mate et in vs. 2.

1. *Tibris et Mariscæ* cod. Beverl.
Alit pro amat vult De Rooy. —
Cæruleus Liris. Fluvius scilicet Cam-
paniæ qui Minturnas alluit. Horat.
lib. I, Ode xxxi, 7 : « Non rura
quæ Liris quieta Mordet aqua, ta-
citurus amnis. » Ad illum fluvium
est silva sacra Maricæ nymphæ,
illius fluvii accolæ, quæ regi Fau-
no nupsit et postea dea habita est

litoris Minturnensium. Vid. Hor.
lib. III, Ode xvii, 7 : « Et in-
nantem Maricæ Litoribus tenuisse
Lirim. » Quidam voluere per Ma-
ricam intelligi debere Minturnen-
sem Venerem ; an satis bene nescio.

2. *Hinc.* Ex Liri fluvio. — *Squillæ.*
Pisciculi nimirum qui gregatim na-
tant, unde *maxima turba* dicitur.
Vid. Plin. lib. IX, cap. 42. Alias
scilla, sive *squilla*, herba bulbo in-
signi prædita.

LXXXIV.

SCARUS.

Hic Scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est : cætera vile sapit.

Οὗτος, ὃς εἰναλίων πίων σκάρως ἦλθ' ἀπὸ βυσσῶν,
Μοῦνα (τὰ λοιπὰ δ' ἄχρηστ') ἔγκατ' ἐδώδιμ' ἔχει.

1. *Adesus Palat.* — *Æquoreis.* In
piscinis servatus ingrati est saporis.
Plinius, lib. IX, cap. 17 : « Nunc
scaro datur principatus, qui solus
piscium dicitur ruminare. » Vid.
præterea et cf. de hoc pisce idem
Plinius lib. xxi, capp. 2, 8 et

ult., Horatius lib. II, sat. 11, Petro-
nius, Oppianus Halieutic. lib. I,
Athenæus Dipnosoph. lib. VII, et
Macrobius Saturnal. lib. II.

2. *Bile pro vile* cod. manu script.
Beverl. — *Cætera.* Subaudi κατὰ,
Græcorum more.

LXXXV.

CORACINUS. *

PRINCEPS Niliaci raperis, Coracine, macelli;
Pellææ prior est gloria nulla gulæ.

Πρεσβεύων Νείλου, Κορακῖν', ἀρπάζεαι ὄψων·
Τοῖς Πέλλης λίχνοις ἄλλο τι οὐ προτερεῖ.

**Coracinus*. Ægyptius piscis, qui quum Græcis nominaretur κόραξ vel κορακῖνος (non ut quidam credidere ἀπὸ τοῦ διηνεκῶς κινεῖν| τὰς κόρας, vel παρὰ τὸ κορὸν τὸ μέλαν), identidem apud Latinos *corvus* appellatus fuit. Vilem eum Athenæus scribit ex Amphide: Ὅστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον Γλαύκου παρόντος, εὖτος οὐκ ἔχει φρένας. Sic apud eundem Athenæum dicit Archestratus φαυλότατον κορακῖνον. At utrique contrarius Plinius lib. IX, cap. 18, in Ægypto Coracinum optimum esse testatur. ED.

1. *Niliaci*. *marcelli*. Sic cod.

Thuan. et cod. in marg. ed. Par. 1617. *Niliacis macellis* Ald. Junt. Colin. — *Niliaci macelli*. Hoc est, nullus piscis delicatior habetur Alexandriæ, quæ est urbs Ægypti, Pellæa dicta ab Alexandro conditore, qui ipse Pellæus nominatur a Pella urbe Macedoniæ ubi natus est. Plinius lib. XXXII: «Coracini pisces Nilo quidem peculiare sunt: sed nos hæc omnibus terris demonstramus.»

2. *Es* cod. Beverland. et cod. in marg. edit. Paris. 1617. — *Gloria nulla*. Hoc est, nullius piscis laus tanta est ut gratior sit Alexandrinis.

LXXXVI.

ECHINUS.

ISTE licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

Εἰ καὶ ἀκανθοφόρου κελύφους ἀπο δάκτυλα κεντεῖ,
Ὅσρακον ἐκδύς ὁμῶς ἔσαι ἐχῖνος ἀβρός.

2. *Cortice deposito*. Hoc est, testa spinosa devulsa. — *Mollis*. Hoc est,

cibus erit delicatus et tenerrimam carnem convivantibus præbebit.

LXXXVII.

MURICES. *

SANGUINE de nostro tinctas, ingrata, lacernas
Induis, et, non est hoc satis, esca sumus.

Εἴματα σεῖ' ἀχάριστος ἐμῶ πεφορυγμένα λύθρῳ
Ἀμπέχη· οὐδ' ἀρκεῖ τοῖσδέ σ' ἔδεσμα πέλω.

* Murex concha est illius ordinis quem Κεφαλοφόρων, Σιφωνοστόμων nunc vocant zoologistæ. Et eo nomine apud poetas celebratissimus quod illius sanguini inerat purpureus color: quam ob causam exspirantis in cruore tingebantur pretiosissimæ vestes; quum autem parum sanguinis quisque haberet, ita ut e sex septemve muricibus vix una gutta exprimeretur, non mirum, purpuram tanti constitisse. EN.

1. *Bis nost.* vult Heins. ad Ovid. Fast. II, 107.—*Sanguine*, etc. Queruntur Murices iniquam sortem suam, et crudelitatem hominum; quod nempe et sanguine suo ornatum, carne vero escam sibi pariant. Vide lib. V, epigr. xxi, vs. 5.

2. *Et, non est hoc satis*, etc. Nam inter conchyliam mensis tum inferebantur murices, λύνονται γὰρ βάπτειν, οὐκ ἐσθίεσθαι μόνον, τῆς πορφύρας κρέας. Lucian. κυνικός.

LXXXVIII.

GOBIUS.

IN Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Εἰ καὶ δαψιλέως Βενετῶν πᾶν δαίνυται ἔθνος,
Ἄρχετ' ἐκεῖ πάσης κωβιὸς εἰλαπίνης.

1. *In variis Vat. Pauca pro lauta Palat.*—*In Venetis.* Veneti sunt Italiæ septentr. populi ad mare Adriaticum, Galliæ Cisalpinæ proximi: in ea autem Armoricæ regionis parte quam Lugdunensem tertiam (hodie *Bretagne*) appellavit Au-

gustus, præterea alii sunt populi dicti Veneti; quorum urbs præcipua, nomen adhuc servans, *Vannes*.

2. *Gobius.* Pisciculus, qui in Venetorum lacunis frequens est, ori gratissimus, de quo Galenus lib. III de Alimentorum facultatibus.

LXXXIX.

LUPUS.*

LANEUS Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Ἐυγανέου λάβραξ προχοᾶς ὑποδῦσι Τιμαίου
Τὸ γλυκὺ βοσκόμενος νᾶμα θαλασσομιγές.

* Lupus, Græce λάβραξ, piscis est sic dictus a vorandi aviditate propter similitudinem lupi terrestri. Neque est tamen, ut quibusdam placuit famosus amnium nostrorum helluo lucius (gall. brochet); neque credendus est, ut voluere alii, idem cum lupo marino (hic enim monstris annumerandus potius videtur quam collocandus inter pisces). Ille vero de quo hic Martialis agit fluminum oras potissimum tenet, et si quando in mari reperitur, a litoribus paucillum recedit et fluminum ostia amat Oceano illabentium; et id ipsum Poeta in suo epigrammate indicavit. Neque exiguus vero erat, neque debilis; teste Ovidio qui in Hal. vs. 38: «Lupus acri concitus ira Discursu fertur vario, fluctusque ferentes Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus Laxato cadat hamus, et ora patentia linquat. ED.

1. *Launius Euganius* cod. Beverl. — *Laneus*, etc. Quid hic significet *laneus*, et quo sensu de pisce aut marino aut fluviatili accipi debeat, in ambiguo est. Colorene albus? an carne mollis? an mandendo

araneosus, ut de colocasiis supra epigr. LVII? an alludit ad Euganeas et Altinates oves juxta Timavum, quæ lanarum mollitie laudantur, unde et poetice piscibus ora ejusdem fl. excipientibus idem tribuit? Addam quod Gruterus refert: Si quis carpos et lucios immiserit salientibus aquæ frigidioris, intra xx diem fiunt supra cutem quasi lanei: villos certe exhibent toto dorso notabiles colore cineritio; iis præsertim, quos piscatores vendebant familiæ ejus pro Rhenanis, quum essent lacustres. Faciatne istud Martiali interpretando, dijudicent quibus palatum sapit. — *Timavi*. Lib. IV, epigr. xxv, vs. 5.

2. *Æquoreo dulces*, etc. Namque illi lupi sunt laudatissimi qui ad ostia fluviorum degunt, dulci pariter ac salsa aqua pasti. Videtur tamen maximi quoque eos æstimatos fuisse qui Romæ, ipsa in urbe, inter duos pontes capti essent. Ad quod spectat Horatianum illud, lib. II, sat. II, 31: «Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet? pontes inter jactatus, an amnis Ostia sub Tusci?» ED.

XC.

AURATA.*

NON omnis laudem pretiumque aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Τίμιος οὐ πᾶς Χρύσοφρυς, καὶ ἐπαίνετός ἐστιν·
Ἄλλ' ὁ μόνον Λουκρῖν' ὄσρεα δαινύμενος.

* Piscis marinus qui sic latine *aurata* (vel, mutata aliquantulum, perperam fortisan, scriptura, *orata*) nuncupatur, græce vero χρύσοφρυς, quod auri (χρυσῶ) colorem referat ejus caput. De hoc Oppianus, *Halieutic.* lib. I, Ἀγλατὴ χρύσοφρυς ἐπώνυμος, hoc est, « Splendidæ pelli aptum nomen ferens *aurata* »; et Ovidius, sive quicumque fragmenti poetici de arte piscatoria auctor exstitit, vs. 110: « Auri Chrysophrys imitata decus. » Nominavit tamen hunc piscem Athenæus τόνισκον. Famæ autem nonnihil obtinuit, non solum quod convivantium gulæ gratus esset, sed veneni vim emolliret. Plin. lib. XXXII, c. 5: « Venenatum mel diximus ubi nasceretur: auxilio est piscis aurata in cibo. » Videtur quibusdam probatissimus fuisse. Macrobius sane lib. III, cap. 15: « Sergius Orata cognominatus est, quod ei pisces, qui auratæ vocantur, carissimi fuerint. » Sic Licinius ille qui nomini suo primus cognomen adjunxit Muræna, sic appellatus fuit, quod murænas suas quas in murænariis delicatis-

sime nutriebat, perditæ amaret et caritatē mira prosequeretur. ED.

2. *Erit concha Lucrina cibus.* Conchas Lucrinas optimi esse saporis diximus epigr. LXXXII supra, quibus pastas auratas suavissimas affirmat Poeta. — Et hic licet rursus notes, stupeasque rursus Romanorum incredibilem luxuriam et gulam, qui postquam orbem universum, hi ense suo et fortitudine debellassent, hi latrociniis per pacem spoliassent, eo devenere opulentis ut nescire jamjam ipsi viderentur quo pacto immensis divitiis suis uterentur et pecuniam *traherent*, *vexarent*. Hinc solo æquari montium ardua et impervia; hinc « magis Extenta » spectari « Lucrino Stagna lacu; » hinc Baianis undis irrepere cæmenta et palatiorum moles; hinc ipso sub mari effici amœnissimos secessus et voluptarias ædes. Hinc denuo rarissimis et delicatissimis piscibus pisces ipsos enutrirī, ut fastidiosis gulis irritamenta pararentur, et sestertium decies, centies millies forsā, ut in mensa Cleopatræ, uno velut haustu vorarentur.

XCI.

ACIPENSIS.*

Ad Pallatinas acipensem mittite mensas;
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Πέμψον ἀνακτορέησι γλάνιν δώρημα τραπέζαις·
Ἀμβροσίην σπανίη δαΐτα δόσις στεφέτω.

* Aldum in titulo legere *Acipenser* et primo versu *acipensera* monet quidam Annotator in impresso marg. ed. Par. 1617. Nostra Aldina habet *Accipensis* et *accipensem*; Colinaea profert *Accipensis* et, ut servet metrum, *acipensem*.

— *Acipensis*. *Acipensis* vel *acipenser*, quæta vulgo sturionem dicunt, piscis fuit maximo in honore apud Romanos. Ov. in *Halieutic.* vs. 132: « Tuque peregrinis, *Acipenser*, nobilis undis. » Macrobius *Saturnalia* lib. III, cap. 16. « Nec *acipenser*, quem maria prodigis nutriunt, illius sæculi delicias evasit. » Athenæus: Ἀρχίστρατος δὲ, ὁ τὸν αὐτὸν Σαρδαναπάλῳ ζήσας βίον, περὶ τοῦ ἐν Ῥόδῳ γαλεοῦ λέγων, τὸν αὐτὸν εἶναι ἴγειται τῷ παρὰ Ῥωμαίαις μετ' αὐλῶν καὶ στεφανῶν εἰς τὰ δεῖπνα περιφερμένῳ, ἐστεφανωμένων δὲ καὶ τῶν φερόντων, καλούμενον δὲ Ἀχιπένσερα: hoc est: « *Archestratus* autem ille qui eandem vitam vixit quam *Sardanapalus*, de *galeo Rhodio* loquens, existimat eundem esse qui apud Romanos cum tibiis et coronis in cœnam circumferebatur, coronatis iis etiam qui ferebant, dictum *Acipenserem*. » Ubi vides incidisse olim quibusdam in men-

tem, nihilo eum differre a *Galeo Rhodio*; quod tamen in dubium merito vocaveris. Similiter plurimi eum crediderunt ἄλλοπα Ῥόδιον; e quibus fuit *Appio Grammaticus* in libello quem composuit de *Apicii deliciis* et luxuria. Sed his verbis negat *Plin.* lib. XXXII, cap. 11: « *Hellopem* quoque dicit esse nostris incognitum undis: ex quo apparet falli eos qui eundem *acipenserem* existimaverunt », etc. Hunc autem piscem mensis primus intulit *Galtonius præco Romanus*, de cujus gula et luxu multi. *Lucilius*, in fragment. « O *Publi gurges Galloni*, es homo miser, inquit; *Cœnasti* in vita nunquam bene, quum omnia in ista Consumis squilla atque *acipensere*. » *Horat.* lib. II, sat. II, et *Cic. Or. pro Quinct.*

1. *Ad Pallatinas*. Hoc est, ad *Cæsarum* mensas.

2. *Ambrosias*. Hoc est, divinas dapes *Cæsarum*, quasi *Deorum*. — *Munera rara*. *Plinius* lib. IX, cap. 17: « Apud antiquos piscium nobilissimus habitus *acipenser*, unus omnium squamis ad os versis, contra aquam nando meat: nullo nunc in honore est; quod quidem miror, quum sit rarus inventu. »

XCII.

LEPUS.

INTER aves turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

Ἰῶν πτηνῶν ἡ κίχλη, ἐμοὶ κριτῇ εἶ κεν ἐρίζοις·
Ἰῶν δ' αὖ τετραπόδων πρῶτον ἔδεσμα λαγῶς.

1. *Si quod certum est* Palat. *Siquid certum est* ed. Par. 1617 et Barb. *Certum est* esse in suo MS. notat Beverlandus. — *Turdus... lepus*. De turdis jam sæpius dictum : de lepore vero lib. V, epigr. xxix. Vid. præter. Lucian. passim, Athenæus, Dioscorid. lib. II, cap. 18 et quæ ibi annotavit Natiolus.

2. *Mattea*. Multiplex hoc loco variatio. « Lud. Cælius olim, post

Gruterus e MSS. rectius *Mattea*. Bodleian. MS. *bestia*. » Schrev. « In MS. legebatur *athica*, vocis vicinia cum *mattya* conspirante. *Mattya* pro deliciis accipi videtur. » Marg. ed. Par. 1617. « *Mutea* Thuan. cod. *bestia* Vat. » Beverl. *Mittya* ed. Maitt. *Gloria* edd. vett. et Farnab. et Barb. — *Mattea*. Illa vox significat, deliciæ, cupedia : lib. X, epigr. LIX. « Sed te mattea sola juvant. »

XCIII.

A P E R.

QUI Diomedæis metuendus setiger agris
Ætola cecidit cuspide, talis erat.

Ὅς Διομηδείοις φοβερὸς πεδίοισι, σιδήρῳ
Αἰτωλῷ πληγεὶς ἤριπε, τηλίκος ἦν.

1. *Diomedæis*. Hoc est, Ætolis arvis, quorum incola fuit Diomedes Tydei filius, de quo Homerus Iliad. Z.

2. *Ætolia* cod. Beverl. — *Ætola*

cuspide. Meleagri, de quo lib. Spect. epigr. xv. — Sic fere Juvenalis de apro, ut eum eximium et grandem significet, sat. V, vs. 115 : « Flavi dignus ferro Meleagri. »

XCIV.

DAMÆ.*

DENTE timentur apri; defendunt cornua cervos;
Imbelles damæ quid, nisi præda, sumus?

Κάπρω ὀδοὺς, ἐλάφω κέρασ ἀμυντήριόν ἐστι·
Κῦρμα μόνον πελόμειθ' ἔθνε' ἄοπλα πρόκες.

* *Damæ* Ald. Junt. Colin.

1. *Cervum* edd. vett. et Delph. *taurus* ed. *Barb. taurum*. Alios legere monet editor Delph. — *Dente timentur apri*, etc. Sic Anacreon ludit in ferarum armatura nativa,

Carm. II: Φύσις κέρατα ταύροις, ὄπλᾶς δ' ἰδῶκεν ἵπποις, Ποδωκίην λαγωῖς, κ. τ. λ.

2. *Imbelles damæ*. Quæ sola pedum velocitate se a canibus defendere possunt.

XC V.

ORYX.

MATUTINARUM non ultima præda ferarum
Sævus oryx, constat quot mihi morte canum?

Πρωϊνοῦ οὐκ ἐλάχισον ὄρυξ θήρευμα θεάτρου
Πόσων μοι σκυλάκων αἰτιός ἐστι φόνου.

1. *Matutarum*. Seneca, lib. I, epist. 7: « Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciebantur. » Diximus jam lib. X, epigr. xxv, homines mane pugnavisse cum feris.

2. *Erix* cod. Beverl. *Quod MS.* in marg. ed. Par. 1617, et sic Ald. Junt. Colin. *Quid* ead. ed. Paris. *Pro constat quot*, alii *constat qui*, etc.? Hæc lectio non displicet. Sen-

sus est: In venatione matutina, quæ nempe dabatur in amphitheatro, oryx captus vel interfectus multos canes prius interfecit. — *Sævus oryx*. Plin. lib. II, cap. XL: « Orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus (Caniculæ) contra stare, et contueri tradit, ac velut adorare quum sternuerit. » Lib. XI, cap. 44: « Unicorne bisulcum oryx. » Vid. Ælian. lib. VII, cap. 8.

XCVI.

CERVUS.

Hic erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro?
An magis iste tuus, Silvia, cervus erat?

Μῶν ὄδ' ἔην ποτὲ σοῖσι δαμείς, Κυπάρισε, λεπάδνοις;
Ἢ ὄδε σὸς μᾶλλον, Σιλβία, ἦν ἔλαφος;

2. *Silvia*, soror Tyrrhidæ, Tyrrhi filia. De qua Virg. Æn. VIII, 487: «Adsuetum imperiis soror omni Silvia cura Mollibus intexens ornabat cornua sertis.» — *Selvia certus* MS. Bev. — *Cervus*. Similis illi quem domuerat Cyparissus, de quo Ov. Met.

X, 120. «Sed tamen ante alios, Cæ pulcherrime gentis, Gratus erat, Cyparisse, tibi: tu pabula cervum Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam», etc. Vel similior illi quem caussam belli fuisse dicit Virgilius Æneid. VII. Vid. supra.

XCVII.

LALISIO.

QUUM tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur; hoc infans, sed breve nomen habet.

Μούνη ἕως τρέφεται τῇ μητρὶ λαλίσιος, ἴσχει
Ὄνομα τοῦτ' ὄναγρος νήπιος, ἀλλὰ βραχύ.

1. *Dum* MS. Beverl. — *Onager*. Silvestris asinus de quo Plinius lib. XIII, cap. 44: «Onagro et asina genitus omnes antecellit. Onagri in Phrygia et Lycaonia præcipui. Pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.»

2. *Hic infans* cod. Beverl. Distin-

guere ita vult de Rooy, *hoc infans, sed breve, nomen habet.* — *Sed breve nomen*. Hoc est, sed per breve tempus, namque statim atque lalisio a lacte depellitur, vocatur onager. Non breve ergo nomen est quoad syllabas, quæ sunt quatuor; sed quoad temporis spatium, quo durante sic lalisio dicitur.

XCVIII.

DORCAS.

DELICIUM parvo donabis dorcada nato;
Jactatis solet hanc mittere turba togis.

Νηπιάχῳ μέλπηθρον ὀπάσσεις δορκάδα παιδί·
Εἴματα δ' αὖ σείων τήνδ' ἀφίησι λεώς.

1. *Dulichium* Vatic. — *Delicium parvo*, etc. Cicurantur enim dorcades, mansuetæ et familiares fiunt, quum aliquandiu inter homines fuere; ita ut se tractari a pueris sinant, et e manu illorum cibum capiant, quod in Germania, quia frequentes sunt, usitatum est, et nemini ignotum.

2. *Curga rogis* MS. Beverl. — *Jactatis solet*, etc. In arenam mitti solet dato a Quiritibus signo togæ

jactatæ; sic Turneb. lib. xxv, cap. 28. Vel hanc in arena missam agitare et venari solet turba jactatis togis. — Mihi, ait Ferrarius, huic sensui favens, simplicior sensus videtur, dorcadem seu damam animal timidum in arenam missum nullo canum terrore, sed sola togarum jactatione agitatum a spectatoribus. Quod tamen non vetat quin togarum jactatione aliquando bestias Romani in arenam miserint.

XCIX.

CAPREA.

PENDENTEM summa capream de rupe videbis:
Casuram speres, despicit illa canes.

Ῥωγὸς ἀπηόριον τὴν ζόρκα θεώμενος ἄκρης
Ἐλπίζοις κε πεσεῖν· ἤδ' ἀθέρισσε κύνας.

1. *Pendentem*, etc. Respicit ad Virgilii versum: «Dumosa pendere procul de rupe videbo.» Eclog. I, 77.

2. *Despicit*. Sic primus Gruterus

e MSS. et sic cod. Beverl.; et unice bonum pronuntiat Schrevelius. At *decipit* edd. vett. et Farnab. et Barb. — *Canes*. Inter venandum.

C.

ONAGER.

PULCHER adest onager : mitti venatio debet
Dentis Erythræi : jam removete sinus.

Θοῦρις ὀδοντομάχου θήρη ἐλέφαντος ἀφείσθω·
Καλὸς (ἀφαιρείσθω λῖνα) πάρες' ὄναγρος.

1. *Onager*. De quo supra epigr. xcvi. — *Pulcher*. Oppian. Cyneg. lib. III: Ἐβσφυρον ἠερόεντα Κραιπνὸν ἀλλεπόδην κρατερώνυχον αἰπὺν ὄναγρον, ὅς τε πέλει παιδρὸς, δέμας ἄρκις, εὐρὺς ἴδεσθαι, Ἀργύφειος χροίην. — *Mitti*. Quia scilicet pulchrius est onagrorum pugnantium quam elephantorum spectaculum. Alii sic intelligunt, immittendos in are-

nam elephantos cum onagris pugnaturos. Videat lector.

2. *Dentis Erythræi*. Legunt alii *Gentis Erythrææ* : quod in eundem sensum recidit. — *Dentis Erythræi*. Hoc est, elephantorum, qui sunt ad mare Erythræum seu Rubrum. — *Removete sinus*. Scilicet retia, quibus non erat opus ad venationem onagrorum.

CI.

OLEUM VENAFRANUM.*

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Unguentum, quoties sumis, et istud olet.

Καμπανοῦ τόδε σοὶ στιλπνὸν γέννημα Βενάφρου
Στάξε λίπος, καὶ σοὶ γεῦσις ὄδωδε μύρου.

* Hoc ep. post ep. xcvi ponitur in edd. vett. et Delph. et Barb.

1. *Hoc tibi*. De Venafro Campaniæ agro, ubi præstantissimæ sunt olivæ, egimus jam lib. XI, epigr. lxxiv. — *Bacca*, h. e. oliva.

2. *Et istud olet*. Oles vett. edd. habuere et Raderus. — *Olet*. Vult enim odorem ipsi etiam oleo, non his tantum, quæ oleo condiuntur, deberi. Vide Plinium lib. XV, cap. 11. — *Sumis*. Ad unguendum corpus.

CII.

GARUM SOCIORUM. *

EXSPIRANTIS adhuc scombri de sanguine primo,
Accipe fastosum munera cara garum.

Σκόμβρου ἴθ' ἡμιθνήτος ἀποσάζοντα φόνοιο
Πρωτοτύπου δέξαι, τίμια δῶρα, γάρου.

* *Garum scombrorum* ed. Paris. 1617, et Farnab. et Barb. Nostra lect. est in MS. Beverl. melius secundum Plinii verba: nova enim Carthago in Hispania Tarraconensi Contestanorum maritima urbs quam Appianus Antoninus, alii Carthaginem Spartariam sive Σπαρταγῆν cognominant, optimum garum peperit, et Romanorum socia erat; et supra, epigr. XL: « Hesperius scombri temperet ova liquor. »

— *Garum sociorum*. De garo salsamento vid. Ausonius, epist. ad Paullinum, Isidor. lib. XX, et Athenæus, Dipnosoph. lib. II, ex Cratino et Æschylo, et lib. IX de Ponticorum oxygaro (garo nempe quod aceto miscebatur). Hic iuvabit illa tantum subjecisse quæ epist. 95 Seneca, delicatissimorum ciborum mala enumerans: « Quid? illud sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa tabe præcordia? » et Plinius lib. XXXI, cap. 7 et 8: « Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium, cæterisque quæ abjicienda essent sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant. Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis

Spartariæ cetariis: sociorum id appellatur. Singulis nullibus nummum permutantibus congios pæne binos, etc. » Gari autem genere fuere compluria, scil. hydrogarum, œnogarum, oxygarum, elæogarum vel garelæum, prout cum eo miscebantur aqua (ὕδωρ), vinum (οἶνος), acetum (ὄξος), oleum (έλαιον).

1. *Prono*. MS. Beverl. — *Exspirantis adhuc*. Docet quod genus gari optimum sit, confectum nempe sanguine scombri palpitantis in cæde.

2. *Fæcosum* Ald. Junt. Colin. Farnab. *Fast.* codd. Thuan. et Vat. et MS. in marg. ed. Par. 1617. Et utrique argumentis lectionem asserunt. Nam, ait Domitius qui *fæcosum* sustinet, qui multam habebat fæcem commendabatur; et garum nihil aliud est quam fæx liquore denso. Sed Junius: Qui potuit commendare garum fæcosum rarissimi muneris nomine, quum illud quod fæculentum aut fæcis instar in cophino delituerit, hælæcis nomine nuncupatum fuerit? Ac ne quis *fastosum* respuat elliptice pro *fastoso*, velut alienum a poeticis numeris, exemplum ex Lucani ad L. Calv. Pisonem opusculo depromptum audiat: « Raraque non humilem calcat fastosa clientem. » Videat lector.

CIII.

MURIA.*

ANTIPOLITANI, fateor, sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Εἰμι (τί δ' ἀρνοίμην;) θύννου τέκος Ἀντιπολίτεω·
Σοὶ δ', εἰ σκόμβρου ἔην, οὐκ ἂν ἔπεμψαν ἐμέ.

* *Amphora murie* Cujac. et Scriv. et Arond. et sic editio *Barb.* quæ amat suas partes sola sustinere, et ab aliis edd. discrepare.

— Proprie muria dicitur aqua sale commixta affectaque gustu in modum marinæ. Quo autem pacto muria hæc sale commixta fieret, indicat Columell. lib. XII, capp. 7 et 25: « Deinde salsugo piscium: pisces enim in liquamine seu salsamento soluti humorem liquant quam salsuginem seu muriam appellant. » Tria namque liquaminum erant genera, primum quod e scom-

bro *garum* appellabant: alterum ex thynno pisce factum, quod *muriam*: tertium quod ex quovis minutiore, deterrimum, idque *halec* vel *alec* dicebant. Vide Horat. Serm. II, Sat. iv, 73: « Ego sæcem primus et halec Inveni. »

1. *Antipolitani*. Antipolis, civitas provinciæ Narbonensis, unde thynnus afferebatur laudatissimus. — *Filia thynni*. Liquamen sale thynni soluti. Vid. supra.

2. *Essem si*. Hoc est, Si essem garum, de quo supra, non ad te pauperem, sed ad divitem mitterer.

CIV.

MEL ATTICUM.

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados a silvis nobile nectar apīs.

Σοὶ τόδε Θεσείου προνομεύτρια πέμψεν Ἰμήττου
Παλλάδος ἐκ ξυλόχων ἠδὲ μέλισσα γάνος.

1. *Thesei Hymetti*. Montis in Attica, sic dicti a Theseo.

2. *Pallados a silvis*. Atticæ enim

præsidet Pallas. — *Nobile nectar*. Hoc est, mel Atticum omnium præstantissimum.

CV.

FAVI SICULI.

QUUM dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

Εἰ δοίης Σικελούς Ἰβλῆς ἄπο, τούσδε καλοίης
Οὐκ ἂν ἀμαρτοεπῶς Κεκροπίους σγαδόνας.

1. *Siculis mediæ* cod. in marg. ed. Par. 1617, et cod. Beverl.—
Hyblæ. Montis in Sicilia, cujus
æque nobile ac mel Atticum, dicit

Poeta. Vid. præced. dist. hujusque
lib. epigr. xxiv.

2. *Cecropios*. Atticos : Cecrops
enim Athenis primus regnavit.

CVI.

PASSUM.*

GNOSSIA Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Μινῶος Κρήσσης Γνωσσοῦ τόδε φῦσε τρυγητὸς,
Ἀντὶ μελικρήτου δ' ἔλλαχεν αὐτὸ πένης.

* *Passum*. Plinius lib. XIV, cap. 9 : « Passum a Cretico Cilicium probatur, et Africum, et in Italia provinciisque finitimis. Fieri certum est ex uva, quam Græci Sticham vocant, nos Apianam. Item scirpula, diutius in vite sole uvis adustis, aut ferventi oleo », etc. Vid. et cf. de passo Virgilius, Georgic. lib. II, Columell. lib. XII, cap. 39, Nonius cap. 4, Pallad. Octob. tit. 19. Cæterum de τοῦ πασι ἐτυμολογία ambigitur. Volunt enim quidam, quod unice probandum

videtur esse, hoc verbum ab uva passa, quæ nempe sicca percutitur et decoquitur; et sic quodammodo patitur. Quibusdam vero placet a pandendo *passum* derivari, et ob id *passum* appellari quod ad solem uvæ expandantur.

1. *Gnossia*. Hoc est, Cretensis : Gnossus vel Cnossus urbs est Cretæ. De mulso infra epigr. cviii.—
Mulsum pauperis. Vilius est passum mulso; hoc enim ex melle et Falerno fiebat, illud ex uvis, aqua semper in secundario.

CVII.

PICATUM VINUM.*

HÆC de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites : misit Romulus ipse mihi.

* *Picatum vinum.* Plinius lib. XIV, cap. 1 : « Jam inventa vitis per se in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Arverno, Sequanoque et Helvico generibus non pridem illustrata. Atque hæc Virgilii vatis ætate incognita, a cujus obitu nonaginta aguntur anni. »

1. *Vienna.* Urbs est in Narbonensis parte quam Viennensem dicunt, ad Rhodanum, adhuc *Vienna*.

2. *Misit Romulus.* Si Vienna ab urbe præcipua Allobrogum sunt al-

lata hæc vina picata, ut ex Plinio doctum, quomodo Romulus ipse misit? An idem in Italia postea natum, satum vel illatum? Nam Romulus pro Italico ponitur haud dubie. *Raderus.* — Picatum hoc vinum, in ipsa urbe Romana factum arte ex picis fluxu, ita picis gratiam olet, ut dubites an nativum sit picatum a Vienna Allobrogum. *Farnabius.* — Simplicius forte et melius intelliges mercatorem Viennensem dictum Romulum, et quidem celebrem.

CVIII.

MULSUM.

ATTICA nectareum turbatis mella Falernum;
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Κεχροπίω μέλιτι μέθυ μίσγεται, ὄρρ' ὑπὸ χειρῶν
Τῶν Γανυμηδείων οἰνοχοεῖσθαι ἔδει.

1. *Falernum.* Vinum generosissimum. Plinius lib. XXII, cap. 24 : « Semper mulsum ex vetere vino utilissimum, facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit. » Amatissima hæc potio Romanis, qui eam pro vino

in illa parte convivii, quæ gustus dicebatur, apponebant.

2. *Misceri.* Hoc est, subministrari, Jovi nempe. Lib. VI, epigr. LXXVIII : « Misceri sibi protinus deunces, Sed crebros jubet », etc. Vide etiam lib. VIII, epigr. vi.

CIX.

ALBANUM.*

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

Τοῦτ' ἀπὸ Καισαρέων ἀποθηκῶν πέμψε πέπειρος
Βότρυς, Ἰουλείων ἐμφιλόχωρος ὄρων.

* *Albanum*. Plinius lib. XIV, cap. 6 : « Albana vina, urbi vicina, prædulcia ac rara in austero. » Juvenal. Sat. XIII, 214. « Albani veteris pretiosa senectus », etc.

1. *Mittis* cod. Beverl. Indubie hinc sequitur esse vera quæ olim

diximus de hoc cod. — *De Cæsareis cellis*. Hoc est, de monte Albano, in quem secedere solebat Cæsar Domitianus, ut jam sæpius dictum. Dicitur *Iulus* ab Iulo Æneæ filio, Albæ conditore.

2. *Iuleto* cod. Thuan.

CX.

SURRENTINUM.*

SURRENTINA bibis? nec myrrhina picta, nec aurum
Sume : dabunt calices hæc tibi vina suos.

Σουρρέντινον ἔχων μή μοι χρυσώματα δίξεν·
Τοὺς ἰδίους κύλικας δώσεται οἶνος ὄδε.

* *Surrentinum* Plinius lib. XIV, cap. 6 : « Item Surrentina in vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata, propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent; alioquin esse generosum acetum: C. Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam. » Athenæus, lib. I, cap. 24 : Surrentinum quinto et vicesimo anno incipit esse potui,

quia est pingue et validum, atque inveterascens solum fere est idoneum illo continue utentibus.

1. *Nec myrrhina*. Pocula Surrentina, fictilia scil., idonea sunt ad bibendum vinum Surrentinum; nec opus est myrrhinis iis quos delicatissimæ figuræ ornent, nec aureis calicibus, de quibus lib. XIV, ep. cxiii. Surrentum vero urbs est Picentinarum, non longe ab urbe Neapoli.

CXI.

FALERNUM.

DE Sinuessanis venerunt Massica praelis;
Condita quo quæris consule? nullus erat.

1. *De Sinuessanis*. Plinius lib. III, cap. 5: « Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatum. » Idem Plinius, lib. XIV, cap. 6: « Falernus ager a ponte Campano læva petentibus urbanam coloniam Syllanam nuper Capuæ contributam incipit. » At præterea, lib. III, cap. 5, Massicos montes a Falernis distinguit: « His junguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Massici,

Gaurani, Surrentinique montes. » Poeta tamen vinum Falernum a Massico non distinguit, quod sane esset æque generosum.

2. *Nullus erat*. Sic hyperbolice innuit Poeta vetustissima esse hæc vina Massica. Simili fere artificio extremæ senectutis Lesbiam arguerat, his verbis: « Consule te Bruto quid juras, Lesbia, natam? Mentiris, nata es, Lesbia, rege Numa. » Lib. X, epigr. xxxix. ED.

CXII.

SETINUM.

PENDULA Pomptinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

Σητια, ἡ καθορᾶ Πομπτῖνα μετηρορος ἄλσεα,
Ἐκ τυτθῆς πόλεως πέμψε γέροντα κάδον.

1. *Pendula Pomptinos*. Sic habet codex in marg. ed. Paris. 1617. *Pontinos* edd. vett. *Pomptinos* ed. Farnab. *Pompilios* codex MS. Bev. *Vinea* pro *Setia* idem codex. — *Pendula Setia*. Setia oppidulum fuit Campaniæ in editis locis sita. Lib. X, ep. lxxiv, 10: « Nec quæ paludes delicata Pomptinas Ex arce clivi

spectat uva Setini ». Optimum autem vinum in hac nasci jam dictum fuit. Plinius lib. XIV, cap. 6: « Divus Augustus Setinum prætulit cunctis: nascitur supra forum Appii. » Pariter Athenæus *Dipnosophist.* lib. I, cap. 24: « ὁ δὲ Σητῖνος τῶν πρώτων ἐστὶν οἴνων, ἐμφορῆς τῷ Φαλέρνῳ, ἐὺ πληκτικός. »

CXIII.

FUNDANUM.

HÆC Fundana tulit felix autumnus Opimi;
Expressit mustum consul, et ipse bibit.

1. *Fundana*. Vina scilicet a Fundis oppido Campaniæ sic dicta. Plinius lib. XIV, cap. 6: « In vineis arbustisque nascuntur Fundana. » — *Felix autumnus*. Plinius ejusdem lib. cap. 14. « Apothecas fuisse et diffandi solita vina anno 633 Urbis apparet, indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente suum bonum Italia. » Vid. ad lib. I, ep. xxvii, 7: « Testa

sed antiqui felix siccatur Opimi. »

2. Sic MS. Beverl. *Mulsum* edd. vett. — *Expressit mulsum*. Hoc est, vinum adeo dulce beneque effectum, ut mulso non esset inferius. Quod si legas *mustum*, vinum decoctum et diffusum, vel vinum recens intellige. — *Ipsa bibit*. Laus vini est, quod eo anno quo expressum, esset jam mulsum: hoc est, mulsum videretur. Domitius.

CXIV.

TRIFOLINUM.

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

Εἰ καὶ μὴ πρώτου Βάκχου Τριφολῖνος ἐτύχθην,
Ἐμπης τῶν οἴνων ἕβδομός εἰμι βότρυς.

1. *Trifolina*. Plinius, lib. XIV, cap. 6: « Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem, sive cura, sive casu, ad quartum a Neapoli lapidem Trebellicis, juxta Capuam Caulinis, et in suo agro Trebulanis, alioqui semper plebeia, et Trifolinis gloriata. » — *Lyæo*. Lyæus cognomen est Bacchi qui hic pro vino sumitur.

2. *Vitis ero*. Monet Schrevelius Palatinum legere *lautis ero*. Contra rhythmum et latinitem. — *Septima*. Supra sex vini species enumeravit Poeta: jam Trifolino dat septimum locum. Et hoc Galenus apud Athenæum, I, c. 24, qui hunc ordinem assignat: Falernum, Albanum, Surrentinum, Rheginum, Privernas, Formianum, dein Trifolinum.

CXV.

CÆCUBUM.

CÆCUBA Fundanis generosa coquuntur Amyclis ;
Vitis et in media nata palude viret.

Φουνδαναι κομέουσιν ἐὺ Καίκουβον Ἄμυκλαι ,
Ἄμπελος ἔν τε μέσῳ φῦσα τέθηλεν ἔλει.

1. *Coluntur pro coquuntur* exhibet MS. Beverl. — *Cæcuba*. Quorum mentionem facit Hor. lib. I, od. xxxvii, lib. II, od. xiv, et pluribus aliis locis. De hoc Plinius, lib. XIV, cap. 6 : « Antea Cæcubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano, quod jam intercidit et incuria co-

loni locique angustia, magis tamen fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat. Volunt alii eam in Italia urbem, Terracinam inter et Caietam, a serpentibus deletam. Aliæ sunt Amyclæ in Laconia, de quibus lib. IX, epigr. lxxiv. De Amyclis Italiæ Plinius lib. VIII, cap. 29.

CXVI.

SIGNINUM.

POTABIS liquidum Signina morantia ventrem ;
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

1. *Signina*. E Signia opp. Italiæ. — *Morantia ventrem*. Sistentia alvum. Plin. lib. XIV, cap. 6.

2. *Ne tanti* cod. in marg. ed. Par. 1617. *Ne nimium sitias*. Quod primus, ut reor, videtur Gruterus subjecisse e MSS. quibusdam suis. Prorsus illepide : qua tamen ille nota figit alteram lectionem. Nam si hanc accipias, superfluum erit omne, quod subsequitur. Absoluta enim foret sententia ; ita ut intel-

ligeretur : ne scilicet duritia alvi laborare incipias. Quod si dixisset Signina sitim accendere, aliquis sensus τῷ *sitias* posset dari : nempe, ne nimium sitias, parce bibas. Sed non hoc criminatur in illis Martialis. *Morari ventrem* seu alvum sistere dixit : Huic commodissime subjungitur : Ne nimium morentur vel sistant, siti fac temperes, et parce bibas. Gronovius. — *Sit tibi parca sitis*. Parce bibe. Vid. supra.

CXVII.

MAMERTINUM.*

AMPHORA Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quodvis nomen habere potest.

Εἰ Μαμερτίνοιο γέρων οἴνοιο δοθείη
Ἀμφιφορεὺς, ὅ, τιούν οὔνομ' ἔχειν δύναται.

* *Mamertinum*. Mamertino vino auctoritatem et famam primus conciliavit C. Julius Cæsar dictator. Plin. lib. XIV, cap. 6 : « Quartum curriculum publicis epulis obtinere a Divo Julio (is enim primus auctoritatem his tribuit, ut in epistolis ejus apparet) Mamertina, circa Messanam in Sicilia genita. » Athenæus, de vinis Italicis : « Mamertinum nascitur extra Italiam,

quod in Sicilia Iotalinum dicitur, suave et robustum.

1. *Manestina* cod. Beverl. et vs. 2, *potes*. — *Nestorea senecta*. Hoc est, Mamertina vetustissima, quæ tres hominum ætates vixere.

2. *Quodvis nomen*. Hoc est, vel Falernum, vel Setinum, vel Cæcubum, etc. nominari potest, his enim vini speciebus æquiparari potest. Vide lib. I, epigr. cvi.

CXVIII.

TARRACONENSE.

TARRACO, Campano tantum cessura Lyæo,
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

Καμπανοῖο μόνου Ταράκων ἠττώμενος οἴνου
Τυρρῆνοῖσι κάδοις φῦσε τόδ' ἀντίπαλον.

1. *Solum pro tantum* cod. Beverl. — *Tarraco*. Civitas Hispaniæ nobilis, hodie *Tarragona*, ubi vinum erat tam egregium, ut præter

Campaniæ vina, de quibus supra, cum aliis Italiæ vinis comparari posset. Videatur Plinii lib. XIV, cap. 6. — *Tuscis pro Italicis*.

CXIX.

NOMENTANUM.

NOMENTANA meum tibi dat vindemia Bacchum;
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

Νωμεντανὸς ἐμὸν τόδε σοὶ μέθυ δῶκε τρυγητός·
Εἰ Κοίντῳ φίλος εἶ, λωϊτερόν κε πίσις.

1. *Nomentana*. De vitibus Nomentanis agit Plinius lib. XIV, cap. 2. De agro suo Nomentano egit Poeta lib. I, epigr. cvi, lib. VII, epigr. xciii. Ex quo constat, juxta

Nomentanum M. V. Martialis agrum Quintum villam habuisse, ubi vinum præstantius erat, quod diligentius et magnis forsitan sumptibus agrum coleret ditior Quintus.

CXX.

SPOLETINUM.*

DE Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

* *Spoletinum*. In Umbria populi sunt Spoletini, hodie *Spoletto*, unde vinum allatum a vetustate commendat Poeta: nec minus esse dulce ait quam Falernum recens expressum vel decoctum. Plinius lib. XIV, cap. 19: «Decoquitur (mustum) ut dulcescat portione virium, nec durare ultra annum spatium tale proditur. Aliquibus in locis decoquunt ad sapa musta, infusisque his ferociam frangunt.» Athenæus de hoc vino loquitur quoque, et ait: «Spoletinum, dulce haustu, colore aureo.»

1. *Cariosa*. Vetusta et rugosa, sive malueris, cæno, sabulo, situ et araneorum filis obducta. Et hoc de vino dicit quod de lagena aptius et proprie diceretur. En. — *Lagenis*. Vas vinarium, quod modo e testa fiebat (Symposius, de lagena: «Mater erat Tellus, genitor fuit ipse Prometheus, Auriculæque regunt redimitæ ventre cavato.»), interdum ex filis radicum tum fici, tum silvestrium arborum (Plinius, lib. XXXI, cap. 16).

2. *Musta*. Legend. ex vet. codice *mista* notat Flosculus.

CXXI.

PELIGNUM.

MARSICA Peligni mittunt turbata coloni;
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

1. *Massica* edd. vett. *Marsica* jubet *Flosculus*, et dat cod. in marg. ed. Par. 1617; et hoc merito. Nam *Massica* vina in monte Gaurino nascuntur qua Baias et Puteolos prospectant; ergo longe a Pelignis agris distant. Marsi vero Pelignis sunt vicini: partem faciunt regionis illius quæ dicitur *Abruzze*. Tum in vinis nominandis et laudandis ordinem quemdam bonitatis et excellentiæ Poeta servavit. At *Massicum* vinum, quod Campania inter optima, Falernum v. g. Setinum, Surrentinum nominari debuerat. Cæterum non spernendum *Marsicum*, de quo Athenæus: « Marsi-

cum valde austerum et confert stomacho. » Tum Horat. Carm. III, od. XIV, 17: « I, pete unguentum, puer, et coronas Et cadum Marsi memorem duelli, Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa. » — *Mittat orbata* MS. Beverl. Vides, Lector, quantis rationibus evincatur lectt. quas Manuscripto Beverl. tribuimus, ab illo fonte, nec a Beverlandi ipsius ingenio, re vera profluere.

2. *Non tu*. Supple, *here*. Significat domino bibenda vina multo meliora. Nimis enim austera erant vina Marsica quam aut domino aut convivantium illustrissimis biberentur.

CXXII.

ACETUM.

AMPHORA Niliaci non sit tibi vilis aceti;
Esset quum vinum, vilior illa fuit.

Μὴ δὴ ἀτιμάσης Νειλώϊον ἀμφιφορῆα
Ὅξευς οἶνος ἐὼν ἔσκειν ἀτιμότερος.

1. *Amphora Niliaci*. Acetum ex vino Ægyptio confectum carius est quam vinum ex quo fit; illud enim debile et pessimum. Juven. Sat. XIII,

85: « Pharioque madentis aceto. »

2. *Vini* exhibet cod. in marg. ed. Par. 1617, et sic alios legere monet Schrevel.

CXXIII.

MASSILIANUM.*

QUUM tua centenos expugnet sportula cives,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

* *Massilitan.* cod. Thuan. et edd. Farnab. Schrevel.

1. *Quum tua.* Hoc est, quum sis tam dives ut centum clientes alere possis, cur convivis apponis vinum Massilianum vile et infumatum? Vide lib. X, epigr. xxxvi. Sic interpretantur qui legunt cum interrogatione. Sed potes ita explicare: Quum habeas centum clientes, quos alis, appone ipsis vinum ingratum vilis pretii. Est enim, ut docet

Plinius, lib. XXIII, cap. 1, fumo inveteratum insaluberrimum. Non tamen nimis vituperat Athenæus qui libro primo illud dicit: « bonum, densum, corpulentumque, sed exiguum ». Martialis vero sexcenties jam reprehendit, ut lib. III, epigr. lxxxii, 23, « Vel cocta fumis musta Massilitanis »; et lib. X, epigr. xxxvi, 1, « Improba Massiliæ quidquid fumaris cogunt », atque aliis locis passim.

CXXIV.

CÆRETANUM.*

CÆRETANA Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

* *Cæretanum.* Cære urbs est Tusciæ, hodie *Cervetere*, in regione patrimonii D. Petri. de qua epigr. liv, supra, cujus vinum laudat, et cum Setino comparat, de quo sup. epigr. cxii. Volunt hic quidam *Cæretanos* innui populum Hispaniæ, cujus idem sonat nomen. Sed quamquam eodem nominis sono, non eodem nomine illi sunt; et *Cerretani* scribuntur, non *Cæretani*. Nemo

vini Cæretani, nec Plinius in rerum nat. Histor. nec in Dipnosoph. Athenæus meminere. Nepotis sui amici jam mentionem fecit Poeta lib. X, epigr. xlviij. Vide epist. 54, supr.
2. *Non ponit turbæ.* Sed nobile illud vinum bibit cum intimis amicis. Vinum domini illud Petronius appellat quod convivator et flos convivantium, non omnes convivæ potabant. ED.

CXXV.

TARENTINUM.*

NOBILIS et lanis, et felix vitibus Aulon,
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Κλεινὸς ἐὼν ἐρίῳ τε, καὶ ἀμπέλῳ, εἴρια μὲν σοι
Αὐλῶν πουλυτελῆ πέμποι, ἐμοὶ δὲ μέθυ.

* *Tarentinum vinum* edd. veteres.
— *Tarentinum*. Plin. lib. XIV, cap. 6. « Verum et longinquiora Italiae ab Ansonio mari non carent gloria, Tarentina, et Servitiana », etc. Et eodem lib. cap. 3. « Nec non Tarentinum genus aliqui fecere, prædulci uva. » Præterea lib. VIII, cap. 48, egerat de lanis Tarentinis.

1. *Nobilis et lanis*, etc. Poeta enim facetissimus, diviti et cui-cumque delicatulo lanas illas mollissimas relinquit, sibi vinum poscit. Qui tamen locus erit illustrior si Tarentum lanis non nativis tan-

tum, sed purpura tinctis laudari meminimus, ut in Hor. lib. II, epist. 1, 207: « Quid placet ergo? Lana Tarentino violas imitata veneno. » — *Aulon*. Urbs est in ora occidentali Macedoniae, teste Ferrario huc referente hunc versum Martialis. *Aulon* tamen seu *Caulon* ab eodem dicitur oppidum Magnæ Græciæ, hodie *Castelvetere*, in ora Calabriae ulteriori, juxta promontorium Cocynthum. De hoc Horatius, lib. II, od. VI, vs. 18 et seqq. « Et amicus Aulon Fertili Baccho minimum Falernis Invidet uvis »; et de eodem sane loqui videtur Poeta.

CXXVI.

UNGUENTUM.*

UNGUENTUM hæredi nunquam, nec vina relinquo.
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

Μὴ λίπε κληρονόμῳ τῷ σῶ μύρα, μήτε σὺ οἶνον.
Κέρμα μόνον κτάσθω σοὶ δ' ὅλα ταῦτα δίδου.

* Lemma deficit in ed. *Barb.*
1. *Vel pro nec dat* MS. Bev. — *Unguentum*, etc. Præceptum hoc ex Epicuri disciplina, ut quisque suis

bonis præsens præsentibus fruatur, potissimum quæ ad cutem curandam pertinent. In quo genere, vina, odores, unguenta, etc.

CXXVII.

CORONA ROSEA.*

DAT festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas;
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

Σοὶ στεφάνους, ὦ Καῖσαρ, ὁ χειμῶν δῶκε προώρους.
Εἶαρος ἦν τὸ ῥόδον· νῦν δὲ τεὸν γέγονε.

* Extremo disticho adulatur Cæsari Domitiano, veluti Deo, ad cuius nutum natura vertat vices, solita prius rosam vere tantum gignere, nunc autem et autumno, immo ipsa hieme: quodque hominum solertia fiebat, id Cæsaris divinæ potestati aut Cæsarem amantibus Diis attribuit. *Rader.*

1. *Festinatas coronas.* Hoc est, coronas præcoces, ante tempus et vernos dies provenientes. Et addit *bruma dat*, quia mense Decembri Saturnalia celebrabantur et Xenia mittebantur. Vide lib. VI, epigr.

LXXX, ubi de rosis hibernis quas in gratiam Domitiani hieme nasci assentatorie dicit poeta. — *Cæsar, tibi bruma coronas.* Domitiane. Supra epigr. IV, vs. 1 et 2. — *Bruma.* Solstitium hibernum intellige qua anni tempestate nulla est frigidior.

2. *Erant* edd. vett. et Delph. et Farnab. « Palat. recte *erat*, ut ad rosam referatur. » *Schrevel.* — *Quondam veris erat*, etc. Natura sua rosæ erant vernæ, in tuam gratiam hibernæ factæ sunt. Adulatorie scilicet. Vid. quæ supra ad titulum.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATUM

LIBER XIV

CUI APOPHORETA* INDITUM NOMEN.

I.

AD LECTOREM.*

SYNTHESISIBUS dum gaudet eques, dominusque senatus,

* *Aphoreta* exhibet MS. Beverl.
Ad Lectorem addit ed. Barb.

— *Apophoreta*. Quæ sic explicat Turnebus cap. 23, lib. IX. Ego, inquit, eo nomine existimo significari munera, quæ convivis dantur, ut ea domum referant, unde et nomen adepta sunt, scilicet ab ἀποφώρα. Epigr. huj. v. 6, Poeta videtur sic accipere Apophoreta: «Præmia convivæ det sua quisque suo.» Suetonius in Vespasiano, cap. 19: «Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita per Kalendas Martias feminis.»

— Ad lectorem hoc epigramma scriptum quasi præfatiunculæ loco; quo describit carptim Saturnalium

celebrationem et libri materiam humiliorem excusat, opusque ab ipsa brevitate distichorum commendat. *Rader*.

1. *Dominisque senatus alii*. *Domini* vero hic essent servi, quibus tunc serviebant senatores, aliique domini.—*Synthesibus*. Bayfius de Re Vest. cap. 10: Saturnalibus, inquit, per quinque dies S. P. Q. R. togas reponabant, et synthesibus utebantur; et erant viliores vestes. Infra epigr. cxli: «Dum toga per quinas gaudet requiescere luces, Hos poteris cultus sumere jure tuo.» — Erat synthesis vestis cœnatoria, ut lib. II, epig. xlvi; et lib. V, epig. lxxix, 1 et 2: «Undecies una surrexti,

Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem;
Nec timet ædilem moto spectare fritillo,

Quum videat gelidos jam prope verna lacús:
Divitis alternas, et pauperis accipe sortes;

Præmia convivæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, et si quid vilius istis.

Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,

Zoile, cœna; Et mutata tibi est
synthesis undecies. • Et si fuisset
vilior vestis, ut ait Baysius, quid
illam ostentavisset Zoilus? Verum
Saturnalium tempore synthesisi ute-
batur equites et senatores, quod
tunc continua convivia agerent.

2. *Dumque decent nostrum.* Hoc
est, Domitianum, quem sæpius Jo-
vem appellavit. Vide lib. XIII,
epigr. iv. Saturnalibus vero pileati
incedebant Romani; lib. XI, epi-
gramm. vi, 4: «Permittis, puto,
pileata Roma.»

3. *Nec timet ædilem.* Vid. lib. V,
epigr. LXXXIV, 5. Præteritis enim
Saturnalibus ab ædilibus castiga-
bantur aleatores. — De fritillo di-
ctum lib. IV, epigr. xiv, 8.

4. *Tam MS.* Beverl. edd. Farnab.
Schrev. Maitt. Barb. — *Quum videat,*
Quum servi videant adesse Decem-
brem mensem hibernum. *Farnab.*
Puto explicandum, in quos alias,
quum Saturnalia non sunt, depre-
hensus ab ædile soleret demergi.
Lacus interpretor cloacas. Et huc
alludi puto lib. V, epigr. LXXXIV, 4
sq. «Arcana modo raptus e popina
Ædilem rogat udus aleator.» Ne-
que enim *udus* mihi vino madens,
sed aqua, in qua pœnæ causa te-
netur, et rogat, ut celerius ex pœna

mittatur, et una mersione defun-
gatur. Quamquam et perfundi aqua
potuerint contumeliæ causa: ut
ipsum ædilem, «succensens curam
viis verrendis non adhibitam»,
Caius luto jussit oppleri, congesto
per milites in prætextæ sinum»,
Sueton. Vespas. cap. 5. Sic Bibu-
lo καταβαίνοντι κοπρίων ἐπεσχεδάσθη
κόφινος a factione Cæsaris, ut re-
fert Plutarchus in Catone Uticensi.
Gronovius.

5. *Divitis alternas.* Hunc versum
sic explicat Turræbus lib. XI, cap.
23: quod nempe miscentur in his
Apophoretis alternatim dona divi-
tum, citrei pugillares et eburnei,
chartæ majores, etc. cum donis
pauperum, qualia sunt quincupli-
ces, triplices, chartæ epistolares,
etc. atque hæc per sortem, et ita
ut si interdum, inquit, plura lem-
mata unius sortis continuentur:
subjiciantur tamen diversa, alter-
nenturque divitum et pauperum
sortes.

7. *Sunt apinæ.* Sic respondet le-
ctor. De apinis vero dictum lib. I,
epigr. cxiv, 2.

8. *Quis nescit.* Hoc lectori sub-
jicit Poeta.

9. *Madidis, Saturne, diebus.* Satur-
nalibus, quibus promiscue a servis

Quos tibi pro cælo filius ipse dedit?
 Vis scribam Thebas, Trojamque, malasque Mycenæ?
 Lude, inquis, nucibus : perdere nolo nuces.
 Quo vis cumque loco, potes hunc finire libellum;
 Versibus explicitum est omne duobus opus.

et dominis indulgebatur genio, Baccho et festis, ita ut per quinque dies fere totos vino madescerent. Amat autem Noster hac voce *madidus* uti, ad designandam ebrietatem. Lib. I, epigr. LXXI, vs. 9: «Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi.» Lib. IX, epigr. XXIII, vs. 11: «Æstuet ut nostro madidus conviva ministro.» Mox, ep. LXII, vs. 11: «Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni.»

10. *Pro cælo.* E cælo nempe Saturnus a Jove filio ejectus fuit. Hæc fabula satis nota.

11. *Vis scribam Thebas.* Bellum Thebanum, Trojanum, aut raptam Helenam, expeditionemque Agamemnonis, qui rex fuit Mycenæ-

rum; quas vocat *malas* propter scelera illic a Tantalos et posteris Tantalos commissa.

12. *Lude, etc.* Vid. lib. V, epigr. LXXXIV, vs. 1.

13. *Quiscumque foco putet* in MS. Beverl. — *Quo vis cumque loco, etc.* Distichon sequens in peculiare epigramma semotum exhibetur in edit. Petr. Scriverii. Imitatur simul et recedit *Barbous*, qui duos versiculos a primo epigrammate sejungit quidem, sed sequenti epigrammati attribuit ita ut neque ordo deinceps epigrammatum neque numerus mutetur. Vid. infra.

14. *Explicitum, etc.* Hoc est, finitum, numeris omnibus absolutum, ut lib. XI, epigr. CVIII.

II.

APOPHORETA.*

LEMMATA si quæris cur sint adscripta, docebo;
 Ut, si malueris, lemnata sola legas.

Duos postremos versus primi epigr. transfert ed. *Barb.* ad hoc secundum, cui dat titulum *Ad eundem.*

— *Apophoreta.* Vide supra. Hinc constat XIII, et XIV saltem libri lemmata seu argumenta esse non

librariorum, sed ipsius Martialis opus; quamquam tamen, ob lectionum in ipsis lemmatibus varietates, non est dubitandum quin plurima ab alia manu provenerint ac Martialis, sed id raro, neque valde curandum est.

III.

PUGILLARES CITREI.*

SPECTA nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Ἢὶ μὴ λεπτομερῶς κίτρος πινακηδὸν ἐπρίσθην,
Τιμῆεν Λιβυκοῦ βρῖθος ὀδόντος ἄν τιν.

* *Pugillares. Gallice tablettes à écrire.*

1. *Specta nisi in tenues essemus.* Ipsi nimirum pugillares loquuntur, et dicunt: Nos ligna, nisi in tenues laminas arte mira dissecta fuissimus, etc. Hoc est: Mensæ citreæ cæcimus fultæ eburneis pedibus. Nam frequentes in Libya et vicinis regionibus elephantum. Juvenalis, Sat. X, 139: « Rursus ad Athiopum populos, altosque ele-

phantos. » Ipse Noster lib. II, ep. XLIII, 9: « Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes. » Mox lib. IX, epigr. XXIII, 5: « Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes. » Secabantur ligna in laminas tenuissimas, cera illinebantur, et stylo exarabantur ut Gellius lib. 17, cap. 9, exponit; unde forsitan venit nomen pugillares, quasi pungerentur. Colore etiam diversi erant, lutei, virides, crocei, albi, gilvi, etc.

IV.

QUINCUPLICES.

Cædite juvenecorum Domini calet area felix,
Quincuplici cera quum datur auctus honor.

1. *Domini.* Domitiani scilicet, ut lib. V, epigr. VIII, « Fidei tum Domini Dei que nostri », et IX, LXXXVII, « Adspice Carpentum, Pallatiumque Tarentem »; in ejus honorem mactabantur hostiæ, quum aut consulatus aut triumphus illi esset decretus. Lib. VIII, ep. xv et iv. Triumphantes etiam sacrificabant victimas

2. *Quincuplici cera*, etc. Id est: decretus consulatus vel triumphus denunciatur hoc genere pugillarium, a forma et circumgestationis commoditate, quod manu pugnone teneantur: unde ἰγχειρίδια et *manuales* dictæ; a numero vero foliorum dicebantur duplices, triplices, quincuplices.

V.

PUGILLARES EBORÆI.*

LANGUIDA ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Ὄφρα μὴ ἀβληχρὰς ἀμβλύνας κηρὸς ὀπωπὰς,
Στίξαι λευκοφαῖ γράμμ' ἐλέφαντα μέλαν.

* *P. eburnei* edd. vett. et Delph. et Maitt.

— Pugillares eburnei (ut scribit Canio, Emendat. lib. II, cap. 6) videntur duplices, hoc est, duarum paginarum fuisse, omniumque exceptis citreis pretiosissimi, etc. Symmachus quoque lib. III, epist. 30, pugillarium eburneorum

sive eburneorum, hoc genus, meminit.

1. *Languida ne*, etc. Quibus per morbum vel ætatem obtusior est oculorum acies, ut non discernant quæ ceratis inscribuntur, atramento inscribant ebori; ater quippe color albo junctus acrius ferit sensum et facilius perspicitur, quam quæ alba albis insculpuntur.

VI.

TRIPLICES.

TUNC triplices nostros non vilia dona putabis,
Quum se venturam scribet amica tibi.

Ἦμος ἐλευσομένην σοὶ γράψει ἐρωμένη αὐτῇ,
Εὐτελὲς οὐ φήσεις τρίπτυχα δῶρον ἐμά.

1. *Triplikes*. Qui, a tribus foliis sic dicti, rebus amatoriis et levioribus scribendis inserviebant, dum in quincuplicibus honores et magistratus potissimum scriberentur: dona vero pauperum erant. Vid. quæ diximus ad epigr. IV, supra.

— *Non vilia*. Quanquam leviora et vilia vulgo haberentur.

2. *Venturam quum se scribit*, dum citat Heins. ad Ovid. A. A. II, 11; lapsu forsan memoriæ potius quam novandæ lectionis aut transponendorum verborum consilio.

VII.

PUGILLARES MEMBRANEI.

Esse puta ceras, licet hæc membrana vocetur;
Delebis, quoties scripta novare voles.

Διφθέρα ἐκλήθη μὲν, ἀτὰρ σοι κηρὸς ἔσειτο·
Γράμμα νεοχμώσεις τήνδ' ἀπολειψάμενος.

1. *Putes* cod. in marg. ed. Par. 1617, et sic *Barb.* ed. — *Esse puta.* Tales hodie passim fiunt deletiles membranæ vel una pagina vel pluribus, quæ gypso cretaque obducuntur illinunturque. Membranas vero Pergami repertas fuisse ex Varrone refert Plinius cap. 11, lib. XIII, ubi multa de membranarum

inventione vetus annotator Guilandinus. Literæ autem in membranis scriptæ vulgo deleri non poterant.

2. *Delebis, quoties. . . voles.* Quia nempe, ut jam supra diximus, gypso et creta obducebatur accurate membrana cui, si pura atque sincera remansisset, nunquam delenda inscribebantur.

VIII.

VITELLIANI.

NONDUM legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

1. *Pusilla* ed. Schrevel. qui tamen jubet legend. *puella.* Confunditur enim sæpiuscule in manu exaratis codicibus *si cum e.*

2. *Cupiant* cod. Beverl. et sic alios legere notavit Farnab. sensus autem, si hanc vocem adoptaveris, idem est ac τῶν *contineant.* Melius tamen *cupiant,* quasi, amatoris instar qui iis epistolium inscripsit,

ipsi amarent et cuperent. — *Vitelliani.* De quibus lib. II, epigr. vi, 6. Pugillares nempe, in quibus res amatoriarum scribebantur, atque ad puellam mittebantur. Usus nempe illorum fere idem qui triplicium; et idem fere de his dixerat Martialis: «Tunc triplices nostros non vilia dona putabis, Quum se venturam scribet amica tibi.» Epigr. VI sup.

IX.

IIDEM. *

QUOD minimos cernis, mitti nos credis amicæ;
Falleris: et nummos ista tabella rogat.

Ἡμεροτες, εἰ πέμπεισθ' ἡμᾶς τῇ ἐρωμένη ἡγῆ
Κέρμα βλέπων· αἰτεῖ κέρμα καὶ ἦδε σανίς.

* *Idem* edd. Schrev. Maitt. *Barb.*
Ibidem ed. Farnab. *Idem Vitelliani*
edd. vett. et Delph.

1. *Nummos* edd. vett. et Maitt.
et *Barbou*, perperam. — *Quod mi-*
minos. Ipsi nimirum loquuntur per
prosopopœiam, ut in præcedenti
epigrammate, Vitelliani, et audien-
tibus nuntiant non mitti se ad ami-
cam sub noctem petendam, vel ad
rogandum aliquid ejusmodi; sed
mitti se ad aliquem fœneratorem
aut divitem ad petendam pecu-
niam. Videat lector. — Vulgatam
lectionem retinet Domitius, et dicit
Vitellianos fuisse loculos ex corio
confectos, quos sic explico: Quum
in illis Vitellianis essent nummi,
ad amicam illos mitti credere po-
tuisset aliquis; at mutuo erant ac-
cepti et forte ab ipsa amica. Alii sic
interpretantur: Nummos, quorum
mentio in his pugillaribus, non
mitto amicæ, sed posco ab illa.—
Ingeniosissima sane quæ hic Domi-
tius divinavit. Sed tanta acuminis
subtilitate minime opus est. Num-
mos et noctem pariter flagitare hæ
tabellæ valebant. Procul dubio du-
plex hisce temporibus Vitelliano-
rum usus invaluit, dum his vel
scriberent ad amasios et amicas,

vel pecunias mutuo dari precaren-
tur aut mutuo datas reposcerent.
At cur hoc velut rem miram nun-
tiat Poeta? cur ait: «mitti nos cre-
dis amicæ; Falleris.....?» Id ego
crediderim, non antehac duplicem
fuisse usum Vitellianarum tabella-
rum, et amatoriiis nugis, non aliis,
reservatas de pecunia nunquam re-
tulisse; at quum glisceret luxuria
et omnia in dies ita invaderet, ut
de seriis rebus jam quasi per jocum
et inter lances cathedrasque age-
retur, placuisse mox Romanis gra-
vissima quæque eodem libello am-
plecti quo levissima, et rem ar-
gentariam quo amatoriam. Sic iis
fere temporibus diversissima mi-
scens gloriabatur Otho, «Occidere
Galbam Et curare cutem..... Be-
briaci campo spolium affectare Pa-
lati Et pressum in faciem digitis
extendere panem»; Juven. II,
105. Conjici quoque potest Vitel-
lianorum alios fuisse magnitudine
satis notabiles, alios perexigui volu-
minis; in his vero ut plurimum lu-
dicra et amatoria, in illis res serias
tractari; aliquando tamen inver-
sum a quibusdam hoc consuetudi-
nis, et actum de pecunia in exiguis,
in magnis de voluptate. Ed.

X.

CHARTÆ MAJORES.

NON est, munera quod putes pusilla,
Quum donat vacuas poeta chartas.

Μὴ δωρήματα τυτθά σοι δοκοίη,
Τοὺς χάρτας ὅτε δῶ κενοὺς ποιητής.

1. *Non sunt munera quæ putas* exhibent edd. Par. 1617 et Farnab. Hoc et *puella* Ald. Junt. Colin. *Petis* cod. in marg. ed. Par. 1617. *Pusilla* codex MS. Bev. Legendum credo ego *pusilla* sine virgula. Alii

petis : quum in iis nec sunt uummi nec carmina.

2. *Quum donat vacuas.* Chartæ majores sunt loculi chartei, grandiores, quæ puellæ mittuntur inanes, ut supra sunt Vitelliani.

XI.

CHARTÆ EPISTOLARES.*

SEU leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

Ἢ ὀλίγως γνωτῶ πεμφθεὶς φίλῳ, ἢ καὶ ἐταίρῳ,
Πάντας ὁμῶς χάρτης οὗτος ἔειπεν εἰς.

* Duplici modo scribere antiquis usitatum fuit, in tabellis nimirum quas cera illiverant (quæ apud Græcos vocabantur σανίδες, πινακίδες, δελτία, δίπτυχα, τρίπτυχα, etc., apud Latinos pugillares, Vitelliani, duplices, etc.), et in chartis. Non eodem autem modo quo apud nos chartæ fabricabantur, quæ ex linteolis contritis et aqua maceratis conficimus, sed e quodam junco qui in palustribus Ægypti reper-

tus fuit, et papyrus nomen habet, vel ex animantium membranis pelli proximis; hoc autem chartæ genus membrana vel pergamena appellabatur.

1. *Seu leviter noto.* Nam seu ad hominem parum notum, seu ad amicum carissimum et familiarissimum scriberent Antiqui, epistolæ semper hæc præfigebatur inscriptio: *Suo* vel *Suis*: verbi gratia, *»M. Tullius Cicero Attico suo»,* etc.

XII.

LOCULI EBOREI.*

Hos nisi de flava loculos implere moneta
Non decet; argentum vilia ligna ferant.

Χρυσέου πεπλήσθω μούνου τόδε γλωσσοκομείον
Κόμματος· ἀργύρεον τὰ ξύλα κέρμα φέροι.

* *Loculi eburnei* edd. vett. et Maitt.

1. *Non pro Hos* MS. Bev. *Flava* Thuan. et cod. in marg. ed. Par. 1617. *Fulva* edd. vett. *Fulva* ed. Delph. in textu, sed *flava* in Interpr. — Hoc longe anteponendum videtur, quamquam nulla sit sensus inversio aut mutatio, quidquid admiseris. Namque ex omni colorum multitudine, maxime et propemodum unice hujus sæculi Romanis placebat *flavus*; ita ut quum splendidi et pulchri coloris aurum dicerent, flavum eum assererent. Sic lib. II, epigr. XLIII, vs. 11: « Immodici tibi flava regunt chrysendeta nulli. » Item, lib. VIII, epigr. LI, vs. 5: « Vera minus flavo ra-

diant electra metallo. » Lib. IX, epigr. XXIV, vs. 1: « O cui virgineo flavescere contigit auro. » Eodem lib. ep. LXII, 3, deluteis hispanarum ovium velleribus: « Vellera nativo pallent ubi flava metallo. » Tum imperante Domitiano vero simillimum hæc scripta fuisse; Domitiani autem, ut et Titi et Vespasiani, gentilitium nomen erat Flavius; unde ne dubites placuisse Martiali circa duarum vocum similitudinem et quam aiunt *παρονομασίαν* jocari. Quod quidem jam fecit libro XII, epigr. LXV, 6, *flavos* absolute dicens, nummos aureos: « An de moneta Cæsaris decem flavos. » Ev.

2. *Non licet* MS. Beverl. — *Vilia ligna*. Hoc est, loculi lignei viles.

XIII.

LOCULI LIGNEI.

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

Εἴ τι ἐμοῦ περίεσ' ἐνὶ πυθμένι γλωσσοκομείου,
Δῶρον ἔχ' οὐκ ἔστι; γλωσσοκομείον ἔχε.

1. *Si quid*. Hoc est: Si quid æris donabo: sin minus, dabo ipsam supererit in fundo meæ capsulæ, crumenam.

XIV.

TALI EBOREI.

QUUM steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Οὐδενὸς ἀσραγάλου ἐπὶ ταῦτὸ σχῆμα τραπέντος,
Φαίης κεν παρ' ἐμοῦ δῶρα μέγιστα λαβεῖν.

1. *Quum steterit.* De talis jam diximus lib. IV, epigr. XIV, et lib. XIII, epigr. II. Calcagninus de Talis : « Sex sunt, inquit, tali latera, etsi quatuor tantum in usu ludentium sint; nam duo sunt ita incurva, ut illis talus vix possit consistere. Has κεραίας, id est, antennis, videtur Aristoteles appellasse. Proinde scitum est in talo binarium et quinarium, qui duo numeri sunt in tesseriis oppositi, desiderari. Ex reliquis quatuor tali partibus una supina, altera prona dicitur : quæ duæ ternarii et quaternarii vices obeunt. Unitas autem et senio duabus reliquis partibus tribuuntur : senionem vero Coum, unitatem Chium vocabant. » Et paulo infra : « Sed omnes casus talorum ex consuetudine ludentium annumerati erant quinque et triginta; quorum quidam a diis, alii ab heroibus, alii a claris hominibus aut a meretricibus nomen acci-

piebant : nonnulli vero ab eventibus qui cum laude aut probro acciderant, denominabantur. Senio autem a Venere nuncupatim separatur apud Sueton. cap. 71 in epist. Augusti ad Tiberium : « Lusimus, mi Tiberi, γεροντικῶς et heri et hodie. Talis enim jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat. » Idem Calcagninus : « Sed quoties tali ita excidebant, ut diversa esset omnibus facies, qui jactus inter eos, quos quinque et triginta Eustathius dixit, ultimus numerabatur; tum felix ille casus, qui Veneris nomine censebatur, affulgebat; quum nempe unus talus canem, alter ternarium, tertius quaternarium, quartus senionem..... » Hinc clara est hujus distichi sententia.

2. *Munera.* Vincebat enim, qui Venerem jecerat.

XV.

TESSERA.*

NON sim talorum numero par tessera, dum sit
Major, quam talis, alea sæpe mihi.

* *Tessera*. Vitruvius lib. V : «*Cubus est, corpus ex sex lateribus æquali latitudine planitierum quadratum. Is quum est jactus, quam in partem incubuit, dum est intactus, immotam habet stationem : uti sunt etiam tesserae, quas in aiveo ludentes jaciunt.*» Macrobius Saturnalium lib. II, cap. 2 : «*Tessera*

Græco nomine κύβοσ appellatur. »
1. *Non sim numero par.* Duabus enim tribusve tesseris, quatuor autem ad minimum talis, contendebatur in acie lusoria. Calcagninus de Tesseris. Vide lib. XIII, ep. 1.
2. *Major alea.* Hoc est, dum major pecunia meo ludo, quam talis committatur.

XVI.

TURRICULA.*

QUÆ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Ἡ μεθοδευθέντας χεὶρ βάλλειν ἄστριας ἴδρις,
Εἰ δι' ἐμοῦ βέβληκ', εὐγµατα μοῦνα ποιεῖ.

* *Turricula*. Quæ nempe inventa est ad vitandas in ludo talorum fraudes veteratorum. Turricula autem hæc cylindri mathematici satis similem formam habebat, cava tamen et intus capreolatim gradatimque efficta ut tali excutiendi impingerent. Græci Græco nomine appellabant πύργον, qua etiam apud Latinos invalescente voce usus est Horatius, lib. II, Sat. VII, 17 : «*qui pro se tolleret, atque Mitteret in*

pyrgum (al. *phimum*) talos, mercede diurna Conductum pavit. »

1. *Compositos.* Aleatores enim quidam peritissimi et lucri avidissimi ita in manu talos sæpe componebant, ut optata puncta sæpe apparerent.

2. *Feret MS. Beverl.* — *Si per me.* Si per me, turriculam nempe, ex qua seu pyrgo quum emittuntur tali, nullus dolo, sed fortunæ tantum locus est.

XVII.

TABULA LUSORIA.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto;
 Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Δωδεκάκεντος ἔνεσιν ἐμοὶ κύβος· ἢθ' ἑτεροχρῶς,
 Ἀντιπάλου διδύμου ψηφίς ὄλωλεν ὑπο.

1. *Hic mihi bis seno*, etc. Primum ab initio legendum e MS. *Hac mihi* inquit Gronov. — *Bis seno*, etc. Duæ sunt doctorum virorum de hujus versiculi sensu opiniones. In abaco (inquiunt), seu alveo luditur duabus tesseris, quarum numerus summus, duplex senio. Sed quid si dicamus abacum hunc fuisse distinctum 12 ab omni latere tesseris seu spatiis quas regiones, urbes seu mandras appellabant? ut lib. VII, epigr. LXXII, vs. 8. — Audias harum sententiarum utriusque patrocinantes fusius Salmasium et Gronovium. Prius quidem sic fere Salmasius: « *Hic*, id est, in tabula duodecim punctis notata, luditur ad tesseram; et in eadem etiam tabula calculis, hoc est latrunculis luditur. Hic est sensus illius distichi. Eadem igitur tabula et tesseris et latrunculis serviebat: sed alterum tabulæ latus, in quo tesseris ludebatur, lineis vel punctis duodecim descriptum distinctumque erat, in quibus calculi varie disponebantur, prout tesserae cecidissent. Lineas illas sive puncta, *scripta* etiam Latini vocabant, Græci γραμμάς vel γράμματα. Ita Salmasius. At Gronovius postquam

dixit primum ab initio legendum e MS. *Hac mihi*, et τὸ *hac* sic explicat, « Nempe tabula lusoria, ut epigr. xxxv et xlvii, » adjicit: « Deinde duodecim puncta non sunt tabulæ, ut in falso contendit Salmasius, et post eum alii multi crederunt, sed binarum tesserarum, quum singulæ non ultra sex habeant. Vide de Pec. Vet. III, 15. » Judicet lector. Nos quidem posterioris sententiam libentius amplectimur, et levi quidem, non tamen pessimo argumento firmare tentabimus. Nullus sane id in dubitationem movebit voluisse Martialem in hoc disticho indicare quis sit tabulæ lusoriæ usus, et quotuplex. Duplex ille est? At usitatum Nostrum est, ubi sic de duobus sive rebus sive viris canit, similitudinem quamdam et veluti συμμετρίαν in versiculis instituere. Sic et in eo epigrammate, ubi respondet *hic* (vel *hac*) τῷ *hic* (vel *hac*), *tessera* τῷ *calculus*, *numeratur* τῷ *perit*, *bissenio puncto* τῷ *gemino hoste*. At *gemino hoste* de *calculus* dicitur, non de *perit*. Sic igitur in priore versiculo *bis seno puncto* de *tessera* dictum esse, ad *tesseram* referendum esse omnino existima.

XVIII.

NUCES.

ALEA parva nuces, et non damnosa videntur;
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Τῶν καρύων μὲν ἄθυρμα, μικρὸν δαπάνημα καλεῖται·
Ἄλλὰ θαμὰ γλουτῶν παιδία νοσφίσατο.

1. *Alea parva.* Pro re deposita in ludo hic capitur quæ parva est, et nec damnum facit, nec lucrum; pueris tamen sat grandis est, quum vapulant. Lib. V, epigr. LXXIV, vs. 1.

Mavis Ruse coquum scindere quam leporem. • Flosculi Annotat. Ille in marg. ed. Langii. — *Abstulit illa nates.* Nudavit ad pœnas et virgam aut flagellum, si ultra diem permissum luserint. *Farnabius.* — Videtur potius aliquid turpe ac nefandum significari. *Gronovius.*

2. *Abstulit Beverlandi MS.* • Est qui legat *abscidit*, ex illo versiculo,

XIX.

THECA CALAMARIA.*

SORTITUS thecam, calamis armare memento;
Cætera nos dedimus, tu leviora para.

Κλήρω σχῶν θήκην καλάμοις ὀπλισσον· ἐγὼ μὲν
Λοιπὰ δέδωκα· σὺ δ' αὖ ἔντυ' ἑλαφρότερα.

* *Theca libraria Beverlandi MS.* perperam, ut e posteriore versiculo agnoscere facile est. — *Theca*, a græco θήκη quod a τίθημι, id est in quo aliquid reponitur asservandum, quasi diceretur *conditorium*, *repositorium*, *armarium*. Hinc multa etiam apud Latinos vocabula ut *bi-*

bliotheca (βιβλίον, *liber*), loculi nempe ad reponendos libros, *ductylitheca* (δακτύλιον, *annulus*), scrinium quo servantur annuli, *chrotheca*, etc.

2. *Cætera nos dedimus.* Thecam nempe calamis reponendis idoneam. — *Tu leviora para.* Calamos scilicet, stylum, etc.

XX.

CALCULI.

INSIDIOSORUM si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit.

Κόπτων τοὺς δολερῶν πολέμους παίζοντι διαυγῆς
Σοὶ μὲν ὄδ' ἀντίπαλος, σοὶ πρύλις ἔσαι ὄδε.

1. *Insidiosorum*, etc. In insidiis enim latent subseorsores quidam e latrunculis, qui hostem incautum intercipient. Calculorum ergo et latrunculorum ludus idem omnino fuit. Nam et latrunculi *calculi* dicebantur. Ovid. Art. Am. II, 207: « Sæpe latrocinii sub imagine calculus ibit. » Et Noster lib. VII, epigramm. LXXII, 8: « Sic vincas Noviumque Publiumque Mandris et vitreo latrone clausos. » Calculi ergo et latrones iidem. Græci recentiores ζατρίκιον, hunc latronum

ludum vocarunt. Quia totum Zatricii aut latronum ludi negotium, bellum erat, vel belli simulacrum: hinc calculi ipsi quibus ludebatur, et latrones, et milites dicebantur.

2. *Gemmeus*, etc. E vitro aliquando et e gemma discolori factæ latrunculorum binæ acies. Sic et Noster in lib. VII, versib. jam citatis: « vitreo latrone clausos » Poeta vetus (quem Lucanum aiunt): « ...et vitreo peraguntur (vel pugnantur) milite bella. »

XXI.

GRAPHIARIUM.*

HÆC tibi erunt armata suo graphiaria ferro;
Si puero dones, non leve munus erit.

Δέξο σιδηρεΐαις κεκορυθμένον ἔρκος ἀκωκαῖς,
Εὐτελὲς οὐ δῶρον παιδί ποτ' ἐσσύμενον.

* *Graphiarium*. Theca est graphiorum: graphium autem stylus est scriptorius, seu librarius stylus

sic dictus a Græcis γράφω, *scribo*.
1. *Armata suo ferro*. Hoc est, suo stylo ferreo.

XXII.

DENTISCALPIUM.*

LENTISCUM melius : sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest.

Ἐκ σχίνου μὲν ἄμεινον ἂν ᾔην· εἰ δ' οὐ ξύλον ἐστίν,
Κουφίσαι πτερίνη σοὶ τὸν ὀδόντα γλυφίς.

* *Dentiscalpium*. Instrumentum sic ab usu appellatum; quippe quo circumpurgabantur dentes. Ex diversis vero materiis, quarum pretiosiores illæ, illæ viliores, conflabatur. Et primum quidem ex argento aliisque metallis. Trimalcionem ait Petronius dentes sibi spina argentea perfodere. Maximi æstimata post metallum ad hæc conficienda lentiscus arbor; et ex ea factum instrumentum, neutro genere, *lentiscum* appellabatur. Vid. lib.

VI, ep. LXXIV, 3 : « Foditque tonsis ora laxa lentiscis. » Plin. lib. XIV : « Optimam tenuissimamque picem fundunt lentisci, quam et masticen vocant. » Erant alii ex pennis, sæpius rubris. ED.

1. *Frondea cuspis*. Lentisci scilicet. Vid. supr.

2. *Desierit* cod. Beverland. — *Penna*. Alii *pinna*. Vide lib. III, epigr. LXXXII : « Suggestitque ructanti Pinnas rubentes, cuspidisque lentisci. »

XXIII.

AURISCALPIUM.

SI tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Εἴ σε κνισμὸς ἔπεισι χαλέπτων ὦτα, δίδωμι
Ἐντεα τοιαύταις ἄρμενα γαργαλιαῖς.

1. *Porrigine* MS. Beverlandi. — *Verminat*. Hoc est, torquetur verminibus : quo sensu non sumitur

hic, sed pro, titillatur : alio quippe remedio quam auriscalpio opus esset ad curandum hunc morbum.

XXIV.

ACUS AUREA.

TENUIA ne madidi violent bombycina crines;
Figat acus tortas, sustineatque comas.

Ὡς λιπαρὴ μὴ λιτὰ κόμη βομβύκινα χραῖνοι,
Ἡ καλαμῖς σφίγξαι ῥεμβομένους πλοκάμους.

1. *Tænia* legit Aldus et Turneb. lib. IX, cap. 23; quod etiam edd. Langii, Delph. Schrev. *Tenia* Junt. Colin. idem volentes. *Splendida ne madidos* alii legunt *Madidos violet* Delph. Alii *Tenuia* cum synalephe, et τὸ *bombycina* nomen esset substantivum pluralis numeri. — Optime omnium et verissime illi. Scilicet ægre alii ferunt synalephen in uno versiculo fieri et quatuor breves pro dactylo accipi. Unde ergo in poetarum castigatissimo Virgilio *genua labant* (*Æn.* XII, 905); *Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri* (*Georg.* II, vs. 397)? Id quidem in scholis licentiam poeticam nuncupamus: falso; nam tunc jure suo, non licentia, non venia utuntur poetæ; et pronuntiabant Latini *genua*, *tenuia*. Tum quis est novarum lectionum sensus? violari crines a bombycinis? sed inutile tunc *madidos*. Dein qui comam violent bombycina? Si quam liberam fluitare et spargi per colla decet, captivam tenent? et captivam pariter aurea acus tenet. Vel, si *tænia* aut confundit capillos compositos et unguento delibutos, aut siccatur (sic enim quidam ex-

plicant)? at huic sensui non apta vox est *violare*. Cave ergo quidquam in scriptura noves. ED.—*Tenuia*, etc. Ut τὸ *bombycina* pro ipso nomine ponatur; materia pro forma: ne igitur reticula bombycina et subtilia et tenuia violent madidi capilli. Erat enim in reticulis, fasciis vittisque luxus ingens. — Anne igitur, dum capillitii pars melior figitur in capitis vertice atque sustinetur acus auxilio, vetat illa acus infimis et paucioribus comæ ordinibus reticula, fascias, vittas inquinari? Minime; nec is est sensus, sed: Ne soluta et luxurians cæsaries, dum humeris involitat, holosericam vestem commaculet, hanc cohibe et acu fixam veta ne cadat inferius. ED.

2. *Figat acus tortas*. Gruterus quum in MS. reperisset *spartas* (nec aliter nos in Arond.) conjecit *sparsas*. Sed quomodo figuntur *sparsæ*? Hic explicandum erat: nam qui hoc capere non poterant, subjecerunt *tortas*. Dicam. *Sparsæ* hic non sunt fusæ, sed adpersæ unguento: nec *sparsæ comæ* aliud quam *madidi crines* in præcedenti versu, quam *madida comæ* ep. 1. huj. lib. Sic Gronov.

XXV.

PECTEN AD CALVAM.*

QUID faciet, nullos hic inventura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Εὐροῦς' οὐδεμίην ἐν σοὶ τρίχα, πῶς σ' ἂν ὀνήσαι
Εἰς πυκινούς σχιστὴ πύξος ὀδόντας ἐμή;

* *Pecten ad Calvum* legitur in
edd. vett.

1. *Invenit ira Beverlandi MS.*
facili et solita τοῖν ἰτι et tu confu-

sione in codicibus. — *Quid faciet.*
Pectine buxæo calvum quemdam
donat, quo non ipsi opus erat,
atque ita illum irridet Poeta.

XXVI.

SAPO.*

CAUSTICA Teutonicos accendit spuma capillos;
Captivis poteris cultior esse comis.

Τευτονικὸν καίει πλοκάμους ἄφρισμα ποιήσει
Ἡ δουρίκτητος κομψότερόν σε κόμη.

* *Crines sapo* inscriptio est in
Ald. Junt. Colin. Langii.

— *Sapo.* Plinius lib. XXVIII,
cap. 12 : « Prodest et sapo, Gallo-
rum hoc inventum, rutilandis ca-
pillis, ex sevo et cinere. Optimus
fagino et caprino, duobus modis,
spissus ac liquidus : uterque apud
Germanos majore in usu viris quam
feminis. »

1. « *Catica* : quum codex Medio-
lanensis sic habeat, atque sic quo-
que in MS. suo legerit Raderus,

demirari satis nequeo, quod pro-
bam lectionem non retinuerit. Cat-
tica spuma est Batava : lib. VIII,
epigr. xxxiii. » *Beverland.*

2. *Captivis comis.* Germanorum
scilicet, quos subegerat Domitia-
nus. Notissimum autem est flavos et
fuisse et esse crines Germanorum;
qui color valde apud Græcos et Ro-
manos comendatus. Sensus ergo
est : Si sapone utaris, Germanorum
elegantiam comæ tuæ elegantia su-
perare poteris.

XXVII.

MATTIACÆ PILÆ.

Si mutare paras longævos, cana, capillos;
Accipe Mattiacas (quo tibi, calva?) pilas.

Ζητοῦς' ἀλλάξαι πολιὴν τρίχα (σοὶ δὲ, φαλακρῆ,
Οὐκέτι δεῖ) δέξαι σφαιρία Ματτιακά.

2. *Quid tibi* in marg. ed. Par. 1617. — *Accipe Mattiacas*. Turnebus lib. IX, cap. 23, *Mattiacas pilas* interpretatur saponis quoddam vile genus, quo tincti capilli cani nigrescunt. Mattiacæ a Mattiaco oppido Germaniæ, *Baden*. Sic Far-

nabius. Ortelius vero congruere ait cum *Marpurg*. — *Quo tibi, calva?* Quem ad usum tamen, si calva es? Alloquitur nempe anus omnes poeta; mox calvas esse quasdam cogitat, inutile ergo munusculum suum, et hoc ipsum ridet.

XXVIII.

UMBELLA.*

ACCIPERE quæ nimios vincant umbracula soles,
Sit licet et ventus, te tua vela tegent.

Δέχνησαι ἡλιακοῖο θέριτρον καύματος ἄλκαρ,
Καὶ ῥιπῆς ἀνέμων σοὶ σκέπας ἐσόμενον.

* *Umbella*. Gallice *parasol*.

1. *Quæ nimios vincant umbracula soles*. Vela, quibus circumdabatur theatrum, dum exhiberentur spectacula, aliquando vento veliementiori agitata solem admittebant, ad quod arceudum incommodum umbella erat utilissima. Sensus ergo: Sicubi publica defecerint in theatris

vela, ventis revoluta, vela privata subinde arceant nimios solis ardores, ventique vim. *Umbella* dicta ab umbra quam facit, Græcis σκιαδίων: feminis hodie nobilioribus usitata, frequens in Italia: caput velut cælum quoddam undequaque tegit.

2. *Sit*. Alii *Si*. — *Te tua vela tegent*. Hoc est, tua umbella.

XXIX.

CAUSIA.*

IN Pompeiano tectus spectabo theatro;
Nam ventus populo vela negare solet.

* In quibusdam edd. inscribitur *Causapa*; unde suspicantur *Gausapa*. Lipsius cap. 18 de amphitheatro sic explicat: Duplex iis etiam tegmen, sive pilei, sive umbellæ. Pilei quidem Thessalici, ut supra ex Dione retuli, quem eundem cum petaso aliquis fecerit. Usi et *gausapis*, an *causia* loco illius pilei? Nam varia hæc in Martiale lectio (et citat hoc distichum) significat diserte, usurum se tegmine causiæ contra solem, si ventus invidisset vela.

1. *Tectus*. Gruterus e MSS. quibusdam legit *tecum*: et observat pro

eo quod habemus, *Nam ventus*, in opt. codice esse *Manlatus*; ex quo Salmasius, *Mantatus*: posse tamen et *Mandatus* retineri. Schrev. Nam *mundum* et *mantum* dicebant. Qui, inquit, *mantatus* est, in Pompeiano theatro, vela populo solet negare, quibus ipse non indiget. Nam qui manto tectus est, æquo animo fert vela negata populo. Vela autem negata dicebantur, quæ theatro non intenderentur. Idem Martialis alio loco, IX, xxxix, 6: « Et rapiant celeres vela negata Noti. » — *Salmas. Tecum* et *Mantatus* recepit *Barbou*.

XXX.

VENABULA.

EXCIPIENT apros, exspectabuntque leones;
Intrabunt ursos, sit modo firma manus.

Ἄρκτους ἐκδέξασθαι, ὑφίστασθαι τε λέοντας
Ἄρκια, σὺς τε μένειν· χεὶρ μόνον ἰσχυέτω.

1. *Excipient*. Venabula scilicet quæ sunt venaticæ hastæ, tela, vel spicula.

2. *Firma*. Illud *firma* a Glossatore aliquo profectum credit Ant. de

Rooy, et *certa* reponendum putat; quod sane elegantiae plus habet. — *Sit modo firma*. Secus enim ictum declinarent ursi et leones, et venatorem ipsum invaderent.

XXXI.

CULTER VENATORIUS.

Si dejecta gemes longo venabula rostro;
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Ἦν πρόβολος γλωχῖνος ἀτεμβόμενός σ' ἀκαχήτη,
Εἰς γλοῦνιν κοπίς ἦδ' ἐκ χερὸς ἐσδυέτω.

1. *Gemes*. Alii *geres*, quod etiam defendit Flosculus, immerito nec adoptantibus nobis.—*Dejecta longo*, etc. Declinata vel exuta a fera: sic Met. X, 713, aper ille Ovidianus Adonidis excussit pando venabula rostro in puerum ruens. Malo enim de

rostro apri intelligere, quam de venabulo, cujus longam aciem Raderus dici rostrum putat.

2. Pro *brevis* Scriv. legit *levis*.—*Brevis*. Sensus est: Si excusserit tibi venabulum aper, supplebit vicem venabuli culter.

XXXII.

PARAZONIUM.*

MILITIÆ decus hoc, et grati nomen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus

Κόσμημα στρατιῆς, τιμῆς πρόσχημα ποθεινῆς
Τοῦτο, τριβουνείαις ζῶμα πρέπον λαγόσι.

**Parazonium*. Παραζώνιον, cingulum cum ense. Alii dicunt gladii genus esse, quod ad zonam accingebatur. Honoris causa ab Imperatoribus tribuni donabantur hoc gladio. Sic Trajanus Suræ gladium, quo accingendus erat, porrexit: Τὸ ξίφος, ἃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐγρήν, ᾤρεξεν, Dio in Vita Trajani. Parazo-

nii quoque mentionem fecit Athenæus lib. IV.

1. *Gratique erit omen honoris Palat.* et Arond. et MS. Beverland. « *Militiæ decus en, grati gestamen honoris* legend. esse videtur ex vestigiis veterrimorum codicum. » Vide de hoc Epigrammate multa quæ notantur in edit. Langii. Ed.

XXXIII.

PUGIO.

PUGIO, quem curvis signat brevis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Ἰθυτενῆς ἦν φλὲς μεσάτην ἐχάραξε, μάχαιραν
Σίζουσαν ψυχρὸν βάψε Σάλωνος ὕδωρ.

1. *Cingit* pro *signat* cod. in marg. ed. Par. 1617, et sic alios legere notat Schrevel. *Curva vena* ed. Barb. et sic alii, monente eod. Schrevel. «Inquinatum esse hunc l. nullus dubito. Quid si legas *curtis cingit b. orbis habenis?* Conj. nostram quodammodo juvare videtur id quod Palat. cod. servare monet Gruterus, *curva signat brevi sorbit arena.* » De

Rooy. — *Brevis orbita.* Circulos venarum curvarum appellat orbitam: venæ autem apparent in ferro polito et temperato. Sic Raderus.

2. *Stridentem.* Dum enim ferrum candens aqua temperatur, strepitum edit. — *Salo.* De quo lib. I, epigr. L, 11 et seq. «Quibus remissum corpus adstringas brevi Salone, qui ferrum gelat.»

XXXIV.

FALX EX ENSE.

PAX me certa ducis placidos curvavit in usus.
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Καίσαρος εἰρήνην μ' ἐρατὴν ἐς χρῆσιν ἔκαμψε.
Πρόσθεν ὄπλον στρατιῆς, νῦν δὲ γεωπονίης.

1. *Creta* cod. Beverland. *Domus dociles* cod. in marg. ed. Par. 1617. Sic alios legere notat editor Delph. *Proprios* pro *placidos* cod. Beverl.— *Certa ducis.* Domitiani scilicet. Vide lib. IX, epig. LXXI, 7 et 8: «Nulla

ducum feritas, nulla est insania ferri: Pace frui certa, lætitiæque licet.»

2. *Militis.* Nempe, quum essem telum militare. Virgilius, Georg. I, 508, «Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.»

XXXV.

SECURICULA.*

QUUM fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

* *Securicula*. Hoc est, parva securis.

1. *Quum fieret*. Quum bellorum civilium tempore civium proscriptorum bona sub hasta venderentur, hæc securicula summo pretio vendita fuit; quod tunc ferrum rebus aliis omnibus carius esset, quum omnes ad arma concurrerent. An forte pretiosa fuit ab artificis opere? Videat lector. — Nos non hic immorabimur, utri explicantium favendum sit quæsitari (prior enim sensus ridiculus nimium; et *tristis*

epitheton est quod semper huic voci *auctio* jungitur, et *solvendis nummis* perspicuum facit de proscriptis hic non agi); sed legentem admonebimus, voluisse Martialem indicare quanti facienda hæc securis, et quam infinito pretio emenda. Nam in ea auctione quam pecuniolæ egens facis, pecuniolam tibi utcumque paraturus, vilissimo pretio sæpius pretiosa multa vendis. Tali igitur in auctione si quadringentis permutata tibi est securis, quam pretiosa et pulchra illa est! ED.

XXXVI.

FERRAMENTA TONSORIA.

TONDENDIS hæc arma tibi sunt apta capillis;
Unguibus hæc longis utilis, illa genis.

Ταῦτα περισσοφουῶς κουρά τριχὸς ἔντεα πέμπω
Ἄρμενα, καὶ τὰ γνάθοις μὲν, τὰ δ' ὄνυξι μακροῖς.

1. *Hæc arma*. Forfex. Ne mireris vero istam vocem *arma* pro *instrumenta* usurpari. Sic sæpe omnes, et ipse paullo supra, ep. xxiii: «*Arma damus tantis apta libidinibus.*»

2. *Hæc longis utilis*. Scalprum ton-

sorium. Namque et ungues resecare ad tonsores pertinebat. Ut de Bruti Porcia refert Val. Max. lib. III, cap. 2, et lib. IV, cap. 6, et de Vulteio, Horatius, libri I epist. 7. — *Genis*. Novacula.

XXXVII.

SCRINIUM.*

CONSTRICHTOS nisi das mihi libellos;
Admittam tineas, trucesque blattas.

Ἦν μοι βιβλία μὴ διδῶς δεθέντα,
Εἰσάξω σέας, ἢ σῆτας ὤμούς.

* Componendos ait, et constrin-
gendos in scrinio libros, ne soluti
corrumpantur, et tineis blattisque
ludibrium fiant. *Rader.*

1. *Constructos* cod. in marg. ed.
Par. 1617; nisi quidem erremus,
quum sic notamus: nam tali more
fere semper indignantur varietates
in eo marg. v. *construct.* Cæterum

ita legere alios monet Schrevelius.
Selectos cod. Thuan. Nostra lectio
videtur longe melior: in arcula
quippe coarctandi sunt libri, ne so-
luti corrodantur vermibus.

2. *Admittam.* « Quid si legamus
Admittent, sc. libelli? » *Schrevel.*—
Tinea et *blatta* sæpe junguntur.
Vid. lib. VI, epigr. LX, vs. 7.

XXXVIII.

FASCES CALAMORUM.

DAT chartis habiles calamos Memphitica tellus;
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Εἰς τὸ γράφειν, καλάμους Μεμφίτις γαῖα χορηγεῖ·
Τὴν λοιπὴν δ' ὕλην εἰς τὸ κάλυμμα τέγους.

1. *Dat chartis habiles.* Memphis
Ægypti urbs nobilissima. Vide lib.
Spect. epigr. 1. Plinius lib. XVI,
cap. 36: « Chartis serviunt calami
Ægyptii maxime cognatione qua-
dam papyri. Probatiores tamen Gni-

dii, et qui in Asia circa Anaiticum
lacum nascuntur. » Ægyptios tamen
calamos præ aliis omnibus laudat
Poeta, et alios lectis muniendis in-
servire debere censet.

2. *Tera* MS. Beverl

XXXIX.

LUCERNA CUBICULARIA.

DULCIS conscia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias licet, tacebo.

Κοίτης λύχνος ἐγὼ τεῆς συνίζωρ,
Ποιεῖν ὄ, τι ποτ' ἂν θέλης, σιωπῶ.

1. *Dulcis conscia*, etc. Aristophanes, concionantum feminarum act. I, scen. 1, vs. 12, 13: « Μόνος δὲ μηρῶν εἰς ἀπορρήτους μύχους Λάμπεις ἀφάυων εἰς ἐπανθοῦσαν τρίχα, σιάας τε, κ. τ. λ.

et ipse Noster: « me ludere teste lucerna, Et juvat admissa rumpere luce latus. » Lib. XI, epigr. civ, 5. Exigiturque testimonium a lucerna contra Megapenthen, in Luciani κατάπλω.

XL.

CANDELA.*

ANCILLAM tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

Λύχνου σοὶ θεραπαίνις ἦκε κλήρω
Ὅρφνης παννουχίδος φύλαξ ἄγρυπνος.

* « *Cicindela* Vat. Vid. Serv. ap. Salmas. p. 375. » *Beverl.*

1. *Lucerna* cod. in marg. ed. Par. 1617. *Lucernam* MS. *Beverl.* — *Ancillam*. *Lucerna* utebantur divites, *candela* vero pauperes, quam *ancillam* *lucernæ* vocat iustar pauperiorum feminarum, quæ ditioribus mulierculis ancillantur.

2. *Tutas* Gruter. e MS. et sic habet ed. *Barb.* et alios ita legere monet editor *Delph.* — *Tutas*. Hoc est: Licet *lucernæ* ancilla sit *candela*, tamen idem tibi officium præstat: modicum enim lucens *candela* tenebras satis discutiet, neque si per noctem viam facias, quidquam offendes.

XLI.

LUCERNA POLYMYXOS. *

ILLUSTREM quum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

Εἰς λύχνος κέκλημαι, ἐμῆ φλογὶ καίπερ ὄλοισι
Συμποσίοις φαίνων, καὶ πολύμυξος ἐών.

* *Lucerna* Varroni lib. IV, de lingua latina a *luce* dicta; merito, neque audiendus Isidorus qui a *licinio* derivatam asseverat: quam forsau mirum alicui videbitur primam in *lucerna* corripī, etc. at non hinc manantibus vocabulis *luceo*, *lucidus*. At sic *humanus* ab *humus*; *fidus*, *confidere* a *fides*. Cætera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem delassare valent Smetium. Ægyptiis vero lucernarum usus deberi videtur, narrante Eusebio de Præparat. evang., candelabro vero posterior fuit; et Noster paullo infra: « Non norat parcos uncta lucerna patres. » Vid. Athenæus et e recent. Casaubon. in Animadvers. lib. XV, ubi de lychnis et xylolychnis atque lychnorum inventionē congeffit multa.—*Polymyxos*. Hoc est, plura habens ellychnia seu funiculos, *μύξας*, ex *πολὺς* et *μύξα*. Unde *δίμυξος*, *τρίμυξος*, *τετράμυξος*, *πολύμυξος*, hoc est, lucerna duorum ellychniorum, trium et plurium. *Μύξα* vero hic idem ergo *ἐλλύχνιον*, seu fomes lychni et lucernæ: ita ut in una lucerna plures lychnuchi, rostraque, quæ sustinent vel can-

delas, vel cereos; ut plerumque pensiles sunt lychnuchi, qui sex, septem aut plura lumina in orbem ferant. *Μύξα* vero apud Græcos proprie est humor ex naribus profluens (Julii Pollucis Onomastic. *ῥεῦμα τῆς ῥινός*), vel ipsa naris. Nonne ergo mirum voce tali fomitem indicari luminosum? Non magis quam voce Gallica *becs* in Galliis vasa tubosque appellari quæ flammam ἀφ' ὑδρογένους (sic vocant rerum naturalium docti) enitescentem vomere videntur. Ed.

1. *Tota convivia*. Triclinium intellige, ubi celebrantur convivia; rem pro loco.

2. *Myxas*. Legebatur in vett. edd. *myxos* perperam. Nam aliud valet Græcis *μύξος*, et ad eam rem nil pertinet. *Tot myxas* est idem ac *tot funiculos, tot ellychnia*. Apud Suidam *λύχνον εἴκασι μύξαις* lucernam indicat viginti ellychniorum, in hoc epigrammate quod legentibus forsitan hic invenire gratum erit: *Τῶ με Κανωπιστᾶ Καλλίστιον εἴκασι μύξαις Πλούσιον ἢ Κριτίου λύχνον ἔθηκε θεῶ... Ἐς δ' ἐμὰ φέγγη Ἀθρήσας, φήσεις ἴσπερ εἰ, πῶς ἔπεςες;*

XLII.

CEREUS.*

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes;
Subducta est puero namque lucerna tuo.

* Neque ulla est membranarum neque edd. libb. discordia in scriptura exhibenda.

1. *Cereus*. Saturnalium diebus cereos a pauperibus donari solitos jam diximus lib. V, epigr. xviii.

Vid. et lib. X, epigr. lxxxvii, 5:

« Absit cereus aridi clientis. »

2. *Subducta*. Vide lib. VIII, ep. lix, 11 et 12: « Nec dormitantem vernam fraudare lucerna Erubuit fallax, ardeat illa licet. »

XLIII.

CANDELABRUM CORINTHIUM.*

NOMINA candelæ nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Λαμπτήρεσσιν ἐγὼ μὲν ἐπώνυμός εἰμι παλαιοῖς.

Ἄγνωτος προγόνοις νήφοσι λύχνος ἔην.

* Nullam in hujus epigrammatis scriptura varietatem produnt sive codices manu exarati, sive libri excusi.

1. *Nomina candelæ*. Candelabra Corinthio ex ære summo erant in pretio, de quibus ait Plinius lib. XXXIV, cap. 3, et cap. 2 ejusdem libri: « Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur: hoc casus miscuit, Corintho, quum caperetur, incensa: mireque circa id multorum affectatio fuit, etc. »

A candelis vero quæ imponebantur candelabris, et quibus utebantur Veteres nondum inventa lucerna, ea candelabra dicta sunt. Candelabrum Corinthium divitis erat munus, ligneum autem pauperis. Et hic observa, ut sæpius, fidelem versiculo suo Poetam, « Divitis alternas et pauperis accipe sortes » (supra, epigr. 1), lautiora sæpe vilioribus miscere, lucernæ cereum, candelabro Corinthio ligneum, et alia aliis hujus modi.

XLIV.

CANDELABRUM LIGNEUM.*

Esse vides lignum : serves nisi lumina , fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Ἦν μὴ τηρήσης τὸ φάος (ξύλον εἰμὶ γὰρ) ἐκ τοῦ
Λυχνούχου λύχνος κ' αἴψα γένοιτο μέγας.

* Et in hoc nulla lectionis varietas occurrit. — Jocus est in vile candelabrum, quod tamen Poeta ait custodiendum sedulo esse; ne accensum per imprudentiam ipsum candelabrum fiat lucerna et totum ardeat. Namque in candelabro ligneo ligna praelonga figebantur aut tædæ quæ in usum nocturni luminis accedebant. Unde Alexidi poetæ ξυλολυχνούχος appellatur, Tullio vero ad verbum invertenti lychnuchus ligneolus. Et de hac consuetudine passim occurrunt testimonia. Pater vatum Homerus, Odysseus : Ἀυτίκα λαμπτήρας τρεῖς ἕστασαν ἰν μεγάροισι, ὄφρα φασίνειεν, ad quem

locum Eustathius : Ἰστέον ὅτι λαμπτήρας λέγει ἄς νῦν οἱ ἀγροτικοὶ λυχνίας φασίν· ἐφ' ὧν δᾶδες κείμεναι κατὰ δόρπον ἀνάπτονται, ἢ ξύλα ξηρὰ διὰ τὸ ἄκαπνον, ἢ καὶ ἄμφω ἀναμίξ. Acumen autem illius distichi meminisse nos cogit epigrammatis illius quod in lib. VIII legitur κλ : « Non horti neque palmitis beati, Sed rari nemoris, Priape, custos, Furaces, moneo, manus repellas, Et sylvam domini focis reserves : Si defecerit hæc, et ipse lignum es.

1. *Serves nisi lumina.* Incendent nempe candelabrum ligneum cum ædium vitæque periculo.

XLV.

PILA PAGANICA.*

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma ,
Folle minus laxa est, et minus arcta pila.

* *Pila paganica.* Sic dicta a pagis, ubi primum inventa ad voluptatem rusticorum. Farciebatur pluma, ut indicat vs. 1. *Difficilem* vocat, quod

forte hoc genus pilæ aliis pilarum generibus difficilius esset. Vide lib. IV, epigr. XIX, necnon et lib. VII, epigr. XXXII.

XLVI.

PILA TRIGONALIS.

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua : si nescis, rustice, redde pilam.

Εἰμὶ τετὴν, λαιῆν παίζων εἴ μ' οἶδας ἀπωθεῖν·
Εἰ δέ τοι οὐκ οἶδας, σφαῖραν, ἀγροῖχ', ἀπόδος.

1. *Mobilibus* exhibet ed. *Barb.*
— *Si me nobilibus.* Industria quippe
multa opus erat ad hunc ludum.
Vide lib. IV, epigr. XIX, et lib.
VII, epig. XXXII, et LXXII, 9 et sqq.
« Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras. »
Unde Sriverius hic legit aliter : « Si
me scis Polybi levis expulsare si-

nistris. Perpendat et judicet lector.

2. *Rustice, redde pilam.* Qui tan-
tum paganica ludere nosti : *vel* ru-
dis et indocte pilæ. Sic infra epigr
LVIII, Græcæ linguæ rudem vocat
rusticum. Sic Numidicæ, Ionicæ,
Colchicæ avis, jecorisve anserini
nec pretium noscentes, neque sa-
porem dignoscentes *barbaros* vocat,
lib. XIII, epigr. LXXIII.

XLVII.

FOLLIS.

ITE procul, juvenes : mitis mihi convenit ætas ;
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Τῆλε νεηνίαὶ ἐστὲν πέπουσι γὰρ ἤραρον, ἀμφοῖν
Κωρύκῳ παίζειν παισὶ, γέρουσι πρέπει.

1. *Mitis.* Etenim non opus est
magna vi, unde robustiores ado-
lescentes alio ludi genere exercere
se debent. Diceres Poetam recitasse
et epigramma et hoc quod præce-
dit eodem temporis articulo, et

juvenes priore alloquutum a juve-
num globo nunc recedere, ut pue-
ros et senes quoque alloquatur.

2. *Folle.* Pila scilicet vento in-
flata, qua pueri et senes se exerce-
bant. Vide lib. IV, epigr. XIX, 7.

XLVIII.

HARPASTA.*

HÆC rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Ταῦθ' ἤρπασ' Ἀνταίου ἐνὶ σαδίοισιν ἀθλητῆς
Ἡλεμάτῳ τείνων μακρὰ τράχηλα πόνῳ.

* *Harpasta*. Pilæ nempe erant ex corio factæ; l. IV, ep. XIX, 6. — Sive *harpasta* manu pulverulenta rapis. — In primo vs. græco sic metro consule, Ἡρπασε ταῦτ' Ἀνταίου. ED.

1. *Antæi velox*. Pro his duobus vocibus habet *antitusfox* cod. Bev. quod barbarum. — *Antæi draucus*. Palæstrites, studiosus palæstræ, qua claruit Antæus, gigas inmanis qui Africam incolebat et lucta victos hospites necabat. Pindarus Isthmic. lib. Carm. IV. Eum autem ab Hercule tandem domitum et perentum nullus ignorat. Liceat de illa victoria Diotimi cujusdam epigramma excitare, quod et parum notum et notitia tamen dignum fuerat (Anthologiæ lib. I): Τὰν ἦβαν ἐς αἶθλα πάλας ἠσκησε κραταιᾶς Ἄ τε Ποσειδῶνες καὶ Δίος ἄ γενεά. Κεῖται δὲ σφὶν ἀγὼν εὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος, Ἄλλ' ἔστις ζῶαν οἴσεται ἢ θάνατον. Ἀνταίου τὸ πτώμα· πρέπει δ' Ἡρακλῆα νικᾶν Τὸν Διός· Ἀργείων ἄ πάλα, εὐ Διθύων. ED. — Turnebus lib. IX,

cap. 23, sensu minus verecundo intelligi vult, atque alterum distichi versum ad eundem draucum refert, qui quum mollis sit, fortis videri cupit, vano labore Antæi cervices æquare conatus. Ut Juvenal. Sat. III, vs. 88. Sed poteris *vanum* exponere *agro inutilem*, ut sequent. epigr. *Farnab.* — Mirum hic satagere viros doctos, et non videre, draucum velocem hæc raperi *in pulvere Antæi*, accipiendum; et *pulvis Antæi* sumitur simpliciter pro palæstra in genere. Vide Diatriben ad Statium, cap. 24. Gronov.

2. *Grandia qui*. Palæstritæ enim ut fortiores essent, collum producere solebant; et hic juvat allegare Juven. in Sat. III, locum quem dumtaxat indicavit (vid. not. ad vs. 1) Farnabius: « Et longum invalidi collum cervicibus æquat Hercules Antæum procul a tellure tenentis. » — *Vano labore*. Quo nempe frustra exercentur debiles et molles homines.

XLIX.

HALTERES.*

QUID pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Τίπτε μάτην ἀλτῆρσι πονεῦσι βραχίονε; κρείσσω
Ἐςὶ βροτοὺς ἀσκεῖν ἔργα φυτοσκαφίης.

* *Halteres*. Dicti sunt ab ἄλλομαι, *salio*. Erant autem massæ lapideæ, vel metallicæ, ansa vel manubrio addito, quo commode levare possent ab athleticis. De halteribus agit Galenus lib. I, de Sanitate tuenda.

Juv. Sat. VI, 421, «Et lassata gravi ceciderunt brachia massa»; quod de halteribus accipiendum.

1. *Quid*. Quo exhibet cod. in marg. ed. Par. 1617.

2. *Melius*. Hoc est, utilius.

L.

GALERICULUM.

NE lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Ὄφρα τὸ πηλῶδες τρίχα μὴ κήρωμα μαινοί
Μυροβρεχῆ, πέσκει τῷδε πύκαζε κόμην.

1. *Ceroma*. De quo vide lib. IV, epigr. iv. Galericulum inserviebat et ad tegendam calvitiam, ut supra lib. XII, epigr. xlv, et defendendos capillos a ceromate, quo inungebantur palæstritæ. Suetonius, in Othone, cap. 12: «Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo.» Tertulliano, de cultu feminarum: «Affigitis præterea nescio quas enormitates suti-

lium et textilium capillamentorum, nunc in galcri modum quasi vaginam capitis et operculum verticis, nunc, etc.» Utile præterea sæpe galericulum fuit ad simulandum aut dissimulandum capillitii colorem. Juvenal. Sat. VI, 120, de Messalina loquens: «Et nigrum flavo crinem abscondente galero.»

2. *Hac pelle*. Ex qua scilicet factus erat parvus galerus.

LI.

STRIGILES. *

PERGAMUS has misit : curvo destringere ferro;
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Περγαμόθεν πέμφθησαν ὄπλῳ στλεγγίζεο κυρτῶ·
Οὐχ οὕτως ὁ γναφεὺς λευκὸν ὕφασμα τριβεῖ.

* *Strigiles*. Græcis στλεγγίδες, στλεγγίδες, ξυστραὶ σπαθίδες (Vid. Jul. Poll. Onomast.), instrumenta erant quibus, antequam balnea ingrederentur, Antiqui cutem radebant et collectum in palæstra sudorem et collectas in conisterio sordes, in alipterio seu unctuario destringebant. Id autem non ipsi faciebant, sed officium erat unius e mediastinis, hoc est, ex humillimis et vilissimis servis. Oleum porro et pulvis et sordes quæ deradebantur, omnia simul mixta medicum in usum asservabantur et ab Atticis κνίσσαλος vel πάτος appellabantur; de qua re adi si libet Plinium lib. XXXIV, cap. 8, Dioscoridem lib. I, cap. 30, Galenum Simpl. lib. VIII. Persius, Sat. V, 126. « I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer.» Cæterum, si qua forma esset *strigilis* cognosse cupiveris, optimum erit ære descriptam spectare lib. I, cap. 8 apud Mercurialem qui has olim inter Imp. Trajani ruinas ait repertas. Addemus tamen illorum in gratiam quibus hanc spectandi copia non erit duas descriptiones, hanc ex Apuleii Floridis,

illam e Symposii Ænigmatibus. Et quidem sic Symposius: « Rupea, curva, capax, alienis humida guttis, Luminibus falsis auri mentita colorem, Dedita sudori, modico succumbo labori.» Apuleius vero, Hippixæ magnificentiam in instruendis et apparandis epulis laudans: «.... juxtaque honestam strigileculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut et ipsa manus capulo moraretur et sudor ex ea rivulo laberetur.»

1. *Pergamon* Gruter. e MS. destr. cod. in marg. ed. Par. 1617; distr. edd. vett. et Delph. et Farnab. — *Pergamus*. Urbs Asiæ Minoris, in Mysia; imperii satis vasti et potentis caput, cujus et opum omnium quas immensas possederat (vid. Horat. passim) rex Attalus III Romanos hæredes instituit. In ea fabricabantur strigiles. — *Destringere*. Imperativus hic est vocis passivæ.

2. *Non tam*. Hoc est: Si corpus strigilibus bene destrinxeris, in balneo minus inquinabis lintea, quibus te absterges; atque ita non tam sæpe fullonis opera indigebis, qui purget vestes contaminatas.

LII.

GUTTUS CORNEUS.*

GESTAVIT modo fronte me juveneus
Verum rhinocerota me putabis.

Ἀκμὴν βρῖθος ἔην βοὸς μετώπου·
Δόξεις ῥινοκέρωτά μ' αὐτὸν εἶναι.

* *Guttus*. Vas scilicet ex cornu tauri factum, in quo oleum præsertim servabatur; videtur tamen et e naso rhinocerotis factum, quo in balneis utebantur lautiores oleo superfundendo; « magno cum rhinocerote lavari Qui solet ». Juven: Sat. VII, vs. 130. Idem alio in loco Sat. III, 263: « patellas Jam levat, et bucca foculum excitat, et sonat unctis Striglibus, et pleno componit lintea gutto. » Dicitur est a guttis, quod vinum, aquam, seu quoque oleum guttatim funderet, ut Au-

ctor est Varro, de lingua latina lib. IV. Vide Gellium lib. XVII, cap. 8. Eo etiam Antiqui utebantur in sacrificiis. Plinius, lib. XVI, cap. 38. « Marcus Curius juravit se ex præda nihil attigiisse præter guttum faginum quo sacrificaret. »

2. *Putabas*. Sic MS. in marg. ed. Par. 1617. — *Verum*. Alii adjectivum esse credunt, alii adverbialiter sumunt. Sensus est: Tantus est guttus, ut ex rhinocerotis cornu factus videatur. De rhinocerote agit Plinius lib. VIII, cap. 20.

LIII.

RHINOCEROS.*

NUPER in Ausonia Domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

* *Rhinoceros*. Hoc est, guttus ex cornu rhinocerotis; quo sensu rhinoceros sumitur apud Juven. Sat. VII, 130: « Exitus hic est, Tongilli, magno cum rhinocerote lavari »; et in præcedentis distichi vs. 2.

1. *Domini*. Imperat. Domitiani.
2. *Erit illa dies* MS. Beverl. — *Cui pila*. Hoc est, cui modo pilæ loco taurus erat, hic tibi pila jam fiet. Idem dixit de rhinocerote lib. Spect. epigr. 1x et xix.

LIV.

CREPITACILLUM.*

SI quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sinistra manu.

Εἴ σου παῖς κλαίων τις ἀπ' αὐχένος ῥώρηται,
Νηπιέη σεῖοι κωτίλα σεῖσρα χερσί.

* *Crepitaculum* dant edd. vett. et Delph.

1. *Vernula*. Infans nempe servulus domi natus.

2. *Sistra*. Sistrum instrumentum erat Ægyptium e metallo arguto,

quo in Isidis sacris utebantur, ab agitatione nomen habens. Græcis enim σείω valet idem quod *movco*, *quatio*: nam agitatedum et concussum, tinnitus argutos edebat. Lib. XII, epigr. XLIX, vs. 19.

LV.

FLAGELLUM.

PROFICIES nihil hoc, cædas licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Οὐκ ἂν μάσιξ ἦδ', εἰ καὶ τρέχοι ἵππος, ὀνήσαι,
Εἴ γ' ἵπποσασίων ἔσ' ἀπὸ πορφυρέων.

2. *Si tibi purpureo*. Hoc est: Equi factionis purpureæ tam segnes sunt: ut, illos licet assidue verberes, velocius tamen non currant. Hoc dixit de factione Veneta lib. VI, epigr. XLVI. « Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello, Nec currit; magnam rem, Catiane, facit. » De factionibus aurigarum egimus supra. Duos præterea sensus suspicati sunt viri docti. Quorum prior

illi omnino contrarius quem dedimus designaret non opus esse ullis flagellis, si equos habeas e Russata factione, neque posse eos unquam celeriores effici, quidquid stimuli addatur: *labor est inhibere volantes*. Posteriore, qui Domitio arridet, *Purpureo* nomen est proprium equi; nam equos sæpe aurigæ nomine suo vocabant, et tunc auriga famosus Purpureo.

LVI.

DENTIFRICIUM.*

QUID mecum est tibi? me puella sumat.
Emptos non solco polire dentes.

* *Dentifricium ad edentulam* ed. Barb.

1. *Quid mecum.* Dentifricium alloquitur anum aliquam, quæ habebat dentes emptos, quibus poliendis non inservire se, sed puellarum dentibus usui esse dicit: ex caninorum vero dentium cinere cum melle fit dentifricium, quod non erat, ut principio forsitan credidisti, instrumentum, sed medicamen ad levigandos et tergendos dentes. Samonicus de dentifricio his versibus canit: « Quod vero assumpsit nomen de dente fricando Cer-

vino ex cornu cinis est aut ungula porcæ Torrida.....non sine vino. » Plinius, lib. XXXVI, capite 20.

« Arabum lapis, ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus. »

2. *Emptos.* Quorum candor et levitas rarius minuuntur. Notum vero est ab edentulis dentes emptos fuisse tunc, quos pro usu inserebant. Vid. lib. V, epigramm. XLIII: « Thais habet nigros, niveos Lecania dentes: Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos. » Ad. et libri I epigramma LXXIII, et libri XII epigramma XII.

LVII.

MYROBALANUM.*

QUOD nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, et ex balano.

Ὁ, ῥῥ' οὐ Βιργιλίῳ, καὶ οὐκ ἔπος εἶπεν Ὅμηρου,
Ἐκ τε μύρου συνέφθου τοῦτο, καὶ ἐκ βαλάνου.

* *Myrobalanum.* Hujus vocis plures syllabæ breves carmini non conveniunt, unde nec ab Homero nec a Virgilio, qui hexametris sua scripserunt, fuit usurpata. Plinius, lib. XII, cap. 21: « Myrobalanum Troglodytis et Thebaidi et Arabiæ,

quæ Judæam ab Ægypto disternat. commune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet. Quo item indicatur et glandem esse arboris, heliotropio, quam dicemus inter herbas, simili folio: fructus magnitudine avellanæ nucis. »

LVIII.

APHRONITRUM.*

RUSTICUS es? nescis quid Græco nomine dicar,
Spuma vocor nitri. Græcus es? ἀφρόνιτρον.

* *Aphronitrum*. Vox facta, ut patet, indicatque ipse Martialis in versiculo epigrammatis posteriore, e duobus vocibus græcis Ἀφρός, *spuma*, Νίτρον, *nitrum*, ita ut et latinæ et græcanicæ vocis eadem sit quantitas et idem numerus syllabarum. Nam in *spuma nitri* quatuor sunt syllabæ, quarum tertia anceps; et ipsissimum id de τῷ Ἀφρόνιτρον dicere est. Plin. lib. XXXI, cap. 10: « Proxima ætas medicorum aphronitrum tradit in Asia colligi, in speluncis mollibus distillans. Specus eos Colycas dicunt. Dein sole siccant. Optimum putant Lydium. » De nitro vid. infr. not. ad vs. 2. Cæterum circa id vocabulum litem moverunt quidam ex antiquis docti viri, de qua nos breviter referemus. Voluerunt nempe Dioscorides lib. V, cap. 131, Plinius libro et capite sup. cit. et cum istis velle videtur Martialis, idem esse ἀφρόνιτρον et ἄφρου νίτρον, quod nomine alio vocant quoque ἄνθος νίτρον, hoc est, ad verbum, *florem nitri*. At cum Galeno, Simplicio lib. IX, potius crede inter ista duo existisse aliquid discriminis: nempe spumam seu florem nitri simillimam fuisse albæ et triticeæ farinae; ἀφρόνιτρον vero farinae speciem neuti-

quam habuisse, sed quiddam fuisse coactum compactumque.

1. *Rusticus es?* Vocat ergo Noster omnes græcæ linguæ rudes et quos ipsi dixissent οὐρώτας, *rusticos*. Neque valde id mirum putes; quum tunc nullus Romanorum, immo Afrorum, Hispanorum, Gallorum, Britannorum, qui quidem elegantia et divitiis vel minimum censebatur, istius linguæ ignarus esset, et servientis populi sermo apud et conservos et dominos id imperii obtinisset quod adspicimus Gallicum sermonem Europa in tota hodie obtinere. Unde id Juvenalis, Sat. XV, vs. 110 sqq. « Nunc totus Graias nostrasque, habet orbis Athenas, Gallia causidicos docuit facunda Britannos, De conducendo loquitur jam rhetore Thule. »

2. *Dicor et edd. vett. pro Græcus es*, pro quo *Græcis* in MS. Beverl. errore satis manifesto latine, non græce, impressam habent ultimam vocem in hoc vs. et edd. vett. et Delph. Quidam tandem pro *aphronitron*, *aphronitrum*, terminationem quoque latinam facientes. — *Aphronitrum*. « Ita cod. antiquus habet, ut dicat interrogantis: Græcus es: hoc est si nosti Græcas literas. » Sic fere Calderinus.

LIX.

OPOBALSAMA.

BALSAMA me capiunt, hæc sunt unguenta virorum;
Delicias Cosmi vos redolete, nurus.

Βάλσαμ' ἐγὼ πεφίληκα· τὸ γὰρ μύρον ἀνδρικόν ἐστι.
Τῆς Κόσμου δὲ τρυφῆς ὄζετε, θῆλυ γένος.

1. *Te* cod. Beverl. — *Balsama me capiunt.* Balsamum est arbor; opobalsamum vero succus est defluens ex balsamo, cujus suavitatem commendat Plinius lib. XII, c. 25.— In ancipiti rem iste, quisquis est, linqvit; quam ego ex Servio aliquantulum inmutato certius, ut reor, statuam. Tres nimirum existere apud Græcos, et hinc Latino sermoni irrepserunt cognatæ voces de balsamo, βάλσαμον ipsum, ἐπεβάλαμον, ξυλοβάλαμον. E quibus patet secundam idem sonare ac balsami arborem, tertiam vero idem quod balsami fructus (ergo balsami succum). Atat prima utra res designatur, fructusne an arbor? Utraque res: et illa sola trium vox ambigæ latitudinis est, quum duo, aliæ et stricto et claro magis sensu usurpandæ sint; ita ut quidquid aut *opobalsamum* aut *xylobalsamum* vocas, *balsamum* jure tuo voces, minime vero liceat *opobalsamum* pro *xylobalsamo*, pro *opobalsamo* *xylobalsamum* accipere. F. v. — Aiunt Theophrastus et Dioscorides ipsa ex arbore succum stillare, postquam ferreis unguibus, osseisve cultellis, vitro, lapide, testa et cæteris incisa sit. Vid. et cf.

de hoc Plinius, Solinus, Tacitus Histor. lib. V, et Claud. XXXI, 121: qui in Epith. Pallad. sic: «Gemma-
tis alii per totum balsama tectum Effudere cadis, duro quæ saucius ungue Niliacus pingui desudat vulnere cortex.» — *Hæc sunt unguenta.* Juven. tamen Sat. II, 41, affirmat mollibus tantum hominibus hæc convenire: «Sed tamen unde Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo Quæ tibi?»

2. Pro *Cosmi*, quod legit Gruterus, *Nini* habent edd. Par. 1617, et Farnab. *Nini* Ald. Junt. Colin. quos *milvos* Thuan. cod. ait Beverl. qui *hinc vos*. Pro his vocibus *nimio sed* habet cod. in marg. ed. Par. 1617, si sane recte intelligimus τὸ V. quod in eo marg. exstat plerumque. Vid. nos ad epigr. xxxvii. — *Delicias Nini* h. e. inquit Raderus qui sic legit: Vos, feminæ, Assyrios quærite liquores, amomum, nardum, aliaque id genus pigmenta, ut unguenta delicata. Ninus rex fuit Assyriorum. De Assyrio vel Syrio unguento vide lib. VIII, epigr. lxxvii, 2. «Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat.» Et Horat. lib. II, Od. 7, 8: «Nittentes Malobathro Syrio capillos.»

LX.

LOMENTUM.*

GRATUM munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

Δῶρον ἂν ἠδὺ λάβοις, ρυτίδεσσί τε γαστρός ἀρηρὸς
Εἰς βαλανεῖον ἰοῦσ' ἤματι μεσσατίῳ.

* *Lomentum*. Quod nempe rugis uteri condendis inserviebat. Vide lib. III, epigr. XLII, 1: «Lomento rugas uteri quid condere tentas, Polla», etc. De balneis Stephani

jam dictum est ad libri XI epigramma LIII.

1. *Petas* cod. MS. in marg. ed. Par. 1617. Sic alios præterea legere notat editor Delph.

LXI.

LATERNA CORNEA.*

DUX laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Φανὸς ὀδηγὸς ἔχω μὲν φῶς ἔμφρουρον· ἐμῷ δὲ
Ἐρκεῖ τηρεῖται λυχνίον ἀσφαλέως.

* *Laterna*. Sic nominata a latendo, quod intus lateat clausa flamma. Gallice nos satis simili voce appellamus *Lanterne*. Non omnes corneæ erant, sed vitreæ aliæ, aliæ papyraceæ, aliæ demum e vesica, ut proximo epigrammate LXII. ED.

1. *Lux* MS. Beverl. — *Clausis flammis*. In laterna quippe lumen quasi clauditur; quæ quum esset cornea, dum pellucebat, aurea vide-

batur. Haud absimili modo, quamvis fuse magis, Plautus in *Amphitryone*, act. I, sc. 1, 185 quum Mercurius sic Sosiam alloquitur: «Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?» et *Sympos.*: «Cornibus apta cavis, tereti perlucida vitro, Lumen habens intus divini luminis instar.»

2. *Lucerna*. Sumitur pro candela et ipso lumine.

LXII.

LATERNA EX VESICA.

CORNEA si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam, contra qui venit, esse putat?

Εἰ μὴ ἐκ κεράτων, μῶν εἰμὶ μελαντέρη; ἢ τίς
Κύσιν ὑπαντιῶν οἶεται εἰσοράαν;

1. *Cornea si non sum.* Tamen, inquit, æque pellucida videor, nec quisquam occurrens me discernat a cornea.

2. *Putet* cod. in marg. ed. Par. 1617. — Ad illud epigramma Raderus: "Crediderim laternas e vesica pauperum fuisse, et corneas divitum; gloriatur hic Vesica lucida

se non minus esse claram quam corneam, neque a contraveniente corneam a vesica distingui. • Cui sententiæ eo libentius nos suffragamur quod jam supra animadvertimus ἀμειβαῖα fere semper a Martiale nominari divitum dona et pauperum. Vid. notata ad hujus libri epigr. XLIII. ED.

LXIII.

PISTULA.

QUID me compactam ceris et arundine rides?
Quæ primum structa est fistula, talis erat.

Τίπτε γελαῖς καλάμοις πηκτὴν με, καὶ ἡδέϊ κηρῶ;
Ἡ πρῶτον γεγαυῖ' ἔσκεν ὁμοιοπαγής.

1. *Quid me compactam.* Pan primus, quum Syrinx amata ipsi nympa in arundinem a Diis mutata fuisset, compegit fistulam. Ovid. *Métam.* lib. I, 711: "Atque ita disparibus calamis compagine ceræ Inter se junctis nomen tenuisse

puellæ"; et Virg. *Ecl.* II, 32: "Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit", et paullo infra, vs. 36, "Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula." Vide et Theocritum, *Idyll.* VIII, vs. 18 et sqq.

LXIV.

TIBIÆ.*

EBRIA nos madidis rumpit tibicina buccis;
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Ἡμᾶς ἀύλητρις φουᾶ μεθύουσα γνάθεισι.
Καὶ πῆ μὲν διδύμους, πῆ δὲ μόναυλον ἔχει.

* *Tibiæ.* De variis tibiærum generibus Solin. cap. 11. Forma, non materia, differunt a fistulis. Nam tibia e cicutis, calamis, buxo, ut fistula; quamquam tibia etiam ex ære, osse, etc. Forma multiplex: aliæ linguatæ, aliæ elingues; alias μοναύλους, alias διαύλους, hoc est, simplices et geminas appellabant. *Monaulos* ergo dicebatur singularis tibia, ad differentiam τοῦ ζεύγους, quum binæ simul inflantur.

De his etiam fuse agit Beroaldus ad hæc Apuleii verba, Asini Aurei lib. X. « Jam tibiæ multiforabiles cantus Lydios dulciter consonant. »

1. *Non* cod. Beverl. — *Ebria tibicina.* Mulier nempe, quæ tibia canens convivio aderat. — *Rumpit*, id est, inflat, ut mihi videtur.

2. *Sepon aulon* cod. Thuan. — *Sæpe duas.* Hoc est: Sæpe habet tibiæ geminam, et sæpe monaulon, hoc est, simplicem.

LXV.

SOLEÆ LANATÆ.

DEFUERIT si forte puer, soleasque libebit
Sumere; pro puerò pes erit ipse sibi.

1. *Soleas.* Gellius lib. XIII, cap. 20: « Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cætera prope nuda, et teretibus habenis juncta sunt, *soleas* dixerunt; et nonnunquam voce græca crepidulas. »

2. *Proderit pro pes erit.* edd. vett. Veteres codices habent, *prode-*

rit ipse tibi. Salmasius legit, ut nos, *pes erit ipse sibi*: h. e. Pes in soleis lanatis vicem pueri supplebit. *Pes erit*; sc. παῖς. Martialis ætate παῖς et *pes* eod. sonabat modo: ac ut e pronuntiabatur. Sic apud Æoles et Spartanos πὸρ et puerum et pedem significat. « Beverl. Hoc est: Tu eris tibi servus a pedibus.

LXVI.

MAMILLARE.*

TAURINO poteris pectus constringere tergo ;
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Εὐρέα ταυρείη σφίγξαις ἄν στήθεα βύρση·
Οὐ χαδέει πέσκος τιθία σεῖο τόδε.

* *Mamillare ad mammosam* exhibit ed. *Barbou*.

1. *Taurino*, etc. Habes enim mammas, « Quas vix taurino poteris circumdare tergo ». Ad quem Virgilii versum alluisse Poeta videtur.

2. *Pellis*, etc. Mamillare e pel-

le; fascia seu strophium, quibus tumor papillarum coercebatur. *Catull. Carin. LXIII, 65*: « Non tereti strophio luctantes vincta papillas. » — Ergo ne, cum quibusdam explicantibus de mamillari aut strophio, idem fere credas ac quod vocamus hodie *corset*?

LXVII.

MUSCARIA PAVONINA.*

LAMBERE quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiae cauda superba fuit.

Ἡ μυίας σοβέουσα τεῆς ἀπὸ δαιτὸς ἀναιδεῖς,
Ἦν οὐρὴ πτηνοῦ μυιοσόβη γλαφυροῦ.

* *Muscaria pavonum* exhibit cod. *Beverland. Muscarium pavoninum* ed. *Barb*.

1. *Lambere*. Muscariorum autem et flabellorum varia genera cernebantur e membranis in lora concisis et e pellibus, tum e raso dolabra subtiliter ligno, forsitan etiam e papyro, certe e pennis multarum

avium; caudæ tamen pavoninæ nobilioribus usus æstimatissimus fuit. — *Muscaria pavonina*. Muscarium flabellum erat muscis abigendis idoneum.

2. *Alitis eximiae*. Pavonis scilicet qui rex avium pulchritudine, ut fortitudine et vi oculorum aquila. — *Cauda* de qua vid. ad XIII, LXX.

LXVIII.

COPTA RHODIA. *

PECCANTIS famuli pugno ne percute dentes;
Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat.

Δούλου ἀμαρτόντος μὴ πύξ τύπτησον ὀδόντας·
Ἦν δὲ Ῥόδος κοπτὴν πέμψεν, ἔδοιτο μόνον.

* *Copta Rhodia*. Turnebus lib. X, cap. 10, sic explicat *coptam*: «Hoc, inquit, genus panificii videtur, cui quædam, quæ tonderentur, ut ipsum vocabulum confitetur, miscerentur, ut nuclei pinei, amygdalæ: sed omnino durissima afferebatur Rhodo, ut e Martialis joco

intelleximus: *copta* vero fit a verbo græco κίπτω, *incido*, *pulso*, quam manducans servus effringet suos dentes.»

2. *Clara Rhodos*. Hic Poeta meminisse videtur Horatianæ odæ 1, 7, 1: *cujus initium*: «Landabunt alii claram Rhodon.»

LXIX.

PRIAPUS SILIGINEUS. *

SI vis esse satur, nostrum potes esse Priapum;
Ipse licet rodas inguina, purus eris.

* *Priapus siligineus*. Utriusque sexus αἰδῶν ex siligine fiebant, ut dixit lib. LX, epig. III, v. 3. Et hic de masculi sexus αἰδέσις sermo est.

1. *Si vis esse*, etc. Duplici sensu in hoc versiculo sumitur *esse*, prius quidem ut substantivum verbum, mox vero ut adjectivum procedere. — *Priapum*. Non τοὺς ὄρχεις, sed τὸ πέος.

2. *Ipse*. Nescio annon melius esset *ipsa*. Nam videtur sæpe apud

Veteres a priapo distingui *inguina*, quæ specialiori sensu ὄρχεις, testiculos, designant. Quod vel ex Horatio conjicias, lib. Epod. VIII, 19: «Quod (fascinum) ut superbo provocas ab inguine Ore allaborandum est tibi.» Ergo sensus hic apparet: *Licet haud βάλανον καὶ πέος duntaxat, sed et ipsos testiculos totos vores, etc.*

— *Purus eris*. Ore non hinc impuriore. Quod τοῖς μωζουρῶσιν τε καὶ φοινικίζουσιν accidit.

LXX.

PORCUS.

ISTE tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Σοὶ τρυφερὴν τελέσει Κρονίων ὄδε χοῖρος ἐυρτήν
Ἀκύλῳ ἐν σιάλοις ἀφριώωσι τραφεῖς.

1. *Bona Saturnalia porcus*. Hic facit tibi Saturnalium dies bonos et lautos. *Bona* autem consulto dixit Poeta quod esset solemnis acclamatio in Saturnalibus, *Io Saturnalia, bona Saturnalia*, lib. II, epigr. II, vs. 5. Hinc quoque in Hendecasyllabis Cat. Carm. XIV, 15: «Saturnalibus, optimo dierum». Quod et Arrianus testatur in disserta-

tionibus Epicteti: «Τοῖς γὰρ παιδίοις, ὅταν προσελθόντα κροτῆ καὶ λέγῃ, Σήμερον Σατουρνάλια ἀγαθὰ λέγεμεν, Οὐκ ἴστιν ἀγαθὰ ταῦτα; εὐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ αὐτεῖ ἐπικροτοῦμεν.» Pueris, quum propinquis jam Saturnalium diebus plaudunt, et Io bona Saturnalia clamant, nos hæc bona vituperamus? immo etiam acclamamus. — *Fecit* cod. Beverl.

LXXI.

MUSCARIUM BUBULUM.*

SORDIDA si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verberare cauda levis.

Αὐσαλέος λιτὴν εἰ χνοῦς ἐσθῆτα ῥυπαῖνοι,
Κέρκος ἀποψήσαι τόνδε τινάζάμενος.

* *Muscarum b.* MS. Beverl. «*Cauda ad tergendas vestes*, Aldus. » Marg. ed. Par. 1617. — *Cauda bovis* ad tergendas et excutiendas vestes; uti pavonis, modo epigram-

mate LXVII, ad muscas abigendas.

2. *Nunc* Bev. Confirmatur centies nostra sententia de hoc MS. toties repetita. *Bovis* pro *levis* alios legere notat Farnabius.

LXXII.

BOTULUS.

QUI venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

1. *Botulus.* Botulus seu botellus, botulum seu botellum, genus est farciminis de quo jam egimus lib. V, epigr. LXXVIII. De hoc Apicius sic loquitur, lib. II, cap. 5, de Re Culinaria: « Botellum, inquit, sic facies ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam et porrum concisum, thusque crudum admiscebis cum pipere modico atque ita intestinum denique farcies, adjectoque liquamine et vino decoques. » — *Medio temp. brumæ;* hoc est, media hieme; nam Saturnalia celebrabantur mense Decembri, qua tempestate anni frigora inprimis desæviunt atque brumali glacie rigent omnia. Mannius: « Nostri majores bene Multa instituere, sic hoc optime, frigore Fecere summo dies septem Saturnalia. »

2. *Saturni septem venerat.* Sensus illius distichi est: Qui tibi apophoreti loco botulus mittitur Saturnalium tempore, ante Saturnalia hic ad me missus erat. — Isne sensus genuinus? Anne etiam per anni reliquum tempus dona mittebantur? et illud etiamsi admitteres, quod sane non falsissimum, anne quæ dono accepit, illa dat Noster? Suspisor potius duplicem sensum et

jocum in ambiguo verbo venire, qui et *advenire* et *venumdari* significat. Datur botulus Saturnalium tempore; ante Saturnalia venumdatur. ED. — *Septem.* Quinque tantum erant legitimi dies Saturni, ut diximus lib. IV, ep. LXXXIX, quibus duo lætitiæ non festi adjungebantur. Macrobius, lib. I, cap. 11: « Apud Veteres opinio fuit, septem diebus peragi Saturnalia. » — Et id quidem in modo allegatis Mannii iambicis videre est quorum ultimus: « Fecere... dies septem Saturnalia. » — At incertum aliquid in nota hac legentem turbat; et tamen digna res est, quæ attentius perpendatur et certius statuatur. Primo antiquitus certum est unum duntaxat diem Saturnalibus datum fuisse; mox, gliscente luxuria et desidiæ et licentiæ et ludorum amore, duos annexos fuisse, sed eos non legitimos. Tres erant quum Cæsar duos adjecit; Augustus post triginta annos sancivit patris placitum et videtur unum præterea addidisse; quintum tandem Imp. Caius Caligula condidit, Claudius firmavit, neque post eum reliqui principes celebrari vetuere. Hi autem omnes qui a principibus jussi legitimi censebantur. ED.

LXXIII.

PSITTACUS.

PSITTACUS a vobis aliorum nomina discam;
Hoc didici per me dicere : Cæsar, ave.

Ψιττακὸς οὖνομα τῶν ἄλλων παρὰ σεῖο μάθοιμι·
Αὐτόματος ΚΑΪΣΑΡ ΧΑΪΡΕ λέγειν ἐδάην.

1. *Disco* cod. Beverl.

2. *Per me dicere*, etc. Naturæ instructu, quæ numina adoranda docet: adulatorie. Quasi dicat, *Alias voces sæpius inculcatas a magistris*

accipio; Cæsarem salutare sine magistro didici. Tanta etiam iis animantibus qui intellectu minus instructi sunt inest nativa reverentia Cæsareæ majestatis!

LXXIV.

CORVUS.

CORVE salutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

1. *Salutator*. Alludit forte Noster ad eos corvos, quorum unus Cæsarem Augustum ab Actiaca victoria reducem hisce verbis salutavit, *Ave, Cæsar, victor imperator*; et alter hæc dicturus erat, si victus Octavius esset, *Ave, Antoni, victor imperator*. Macrob. Sat. lib. II, cap. 4. — *Fellator*. « Corvos ore coire et concipere credit vulgus, feminæ rostro maris inserto. » Plin. lib. X, c. 12. Sed Aristoteles negat et deridet ridiculum hoc commentum ab Anaxagora primo proditum lib. de Animal. Quod ore coirent corvi, pervulgatum hoc probat hic ver-

culus. Nec enim simplicem merumque osculi coitum καὶ μίξιν τῶν ῥυγγῶν in corvis, ut in columbis, fieri existimabant: sed semen etiam ex coitu per os immitti in feminam, quo gravidaretur. Inde fellatrices illæ aves vulgo existimantur. Sic fere Salmasius. Simili adulatione de supplice ante imperatoris pedes elephante, lib. Spect. epigramm. xvii: « Quod pius et supplex elephas te, Cæsar, adorat, Hic modo qui tauro tam metuentus erat, Non facit hoc jussus, nulloque docente magistro: Crede mihi, numen sentit et ille tuum. »

LXXV.

LUSCINIA.

FLET Philomela nefas incesti Tereos : et quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Ἡ Φιλομήλα ἄγος Τηρήος ὀδύρεται ἢ τε
Πρόσθεν ἐοῦσ' ἄνεως, ὄρνεόν ἐστι λάλον.

1. *Flet.* Sic, sed copiosius Maro, Georg. IV, 514: «Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat et mœstis late loca questibus implet.—*Incesti Tereos.* Cujus mentionem jam fecimus lib. IV, epigr. XLIX. Satis nota est Philo-

melæ fabula, quæ compressa a Tereo, marito sororis suæ Procnes, in lusciuiam mutata fuit.

2. *Muta puella.* Cui scilicet linguam absciderat Tereus, ne incestum palam faceret. Vide Ovidium Metamorph. lib. VI.

LXXVI.

PICA.

PICA loquax certa dominum te vocé saluto;
Si me non videas, esse negabis avem.

Κίττα λαλή πρόσφημί σ' ἐνάρθρω κύριον αὐδῆ·
Φαίτης κ', οὐχ ὀρώων μ', ὄρνεον οὐκ ἔμεναι.

1. *Pica loquax.* Namque picæ loquacitas eo nominis venit ut de ea proverbia multa circumferantur. Naso eas dicit olim fuisse Pici filias, quibus in alites mutatis «fauca prisca remansit, Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi». Met. lib. V, 678.—*Saluto.* Nam id primum garrulas aves docebant. Arbiter in Trimalcionis con-

vivio: «Super autem limen cavea pendebat aurea in qua pica varia intrantes salutabat.» Persius, in prologo, vs. 7: «Quis expedivit psittaco suum χεῖρε;» Et Noster lib. IX, epigr. LV, 9: «Inde salutatus picæ respondet arator».

2. *Esse negabis.* Pica enim tam articulatim loquitur, ut vox ejus pro humana voce sumi possit.

LXXVII.

CAVEA EBOREA.*

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Ὡς ἐπὶ δακρύχεν κυάνοφρυς ἑταῖρα Κατούλλου
Εἰ σύγ ὁμοιον ἔχεις, αἰψ' ὄδε τῆδε μένοι.

* *Eborea* omittunt edd. vett. et Delph. — *Cavea*. Elegans sane, in qua potuerit habitare passer tam formosus, tam venustæ puellulæ dilectus. tam lepido poeta cele-

bratus. De Lesbia lib. IX, epigr. LXXIII. De ejus passere dictum lib. I, epigr. VIII.

2. *Potes*. edd. vett. et Maitt. et Farnab.

LXXVIII.

NARTHECIUM.

ARTIS ebur medicæ narthecia cernis habere
Munera, quæ cuperet Pactius esse sua.

Τῆς μεδίχης ἐλέφαντα τέχνης ναρθήκια δέξο
Δῶρα, φίλ', οἷα βλέπων Πάκτιος εἶχε φθόνον.

1. *Narcithica* exhibet cod. MS. Beverl. *Habebis* cod. in marg. edit. Paris. 1617. — *Narthecia*. Erant capsulæ, in quibus medicamenta recondebant medici, et quæ e ligno et arbore, quam ναρθήκια Græci, Latini ferulam vocabant, principio facta, mox eburnea evasere, et sui nihil nisi nomen retinere; unde dicit Poeta illa esse, ebur artis medicæ proprium. Verborum, autem planus ordo is est: Cernis habere

(subaud. te; pro en habes, en a me accepisti, ergo en potes cernere te habentem) munera (pro munerum loco) narthecia (eborea), ebur (proprium) medicæ artis.

2. *Paccius* ed. Barb. et Accius MS. Beverl. * *Pacchius* fortasse. Meminit Pacchii Antiochi medici et chirurgi Scribonius Largus. * Marg. ed. Par. 1617. — *Pactius*. Dives forte medicus: cujusdam Paccii orbi meminit Juvenalis Sat. XII, 99.

LXXIX.

FLAGRA.

LUDITE lascivi, sed tantum ludite, servi;
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Παίζετε νῦν ἰταμοὶ (μόνον αὐτὰρ παίζετε) δοῦλοι·
Σφρηγίς ἔχοι μοι ταῦθ' ἡμασι πέντε μόνοις.

1. *Sed tantum ludite.* Monet servos ut tantum ludant, nec aliud tentent, h. e. nihil furentur et sibi reservent; alioquin præteritis quinque Saturnaliorum diebus, quibus domini ipsis serviebant, flagris illos excipiendos intelligit.

2. *Hæc signata.* Annulo signata

et inclusa, uti Pompeius signarat olim gladios militum. Notabimus hic breviter tantum tria antiquis verberationum genera in usu fuisse; fustuarium nempe quod fustes et vites continebat; virgas quibus liberi et servi puniebantur; et flagra quibus soli servi afflicti.

LXXX.

FERULÆ.*

INVISÆ nimium pueris, gratæque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Κλεινὰ Προμηθείου πέλομεν ξύλα δώρου ἔκητι,
Παισὶν ἐπαχθέα μὲν, παιδοτρίβαις δὲ φίλα.

* *Ferula* edd. Delph. Schrevel. Maïtt.

1. *Invisæ pueris.* Quibus nempe illi cæduntur et coercentur a magistris. Juven. Sat. I, 15: « Et nos ergo manum ferulæ subduximus. »

2. *Clara Prometheo.* Prometheus enim ferula ad currum solis admota

ignem Superis subduxit, et in terras detulit: ex hoc vero Promethei furto nobilitatem acceperunt ferulæ. Vide lib. IX, epigr. XLVI: « Ecce Prometheus rupes, etc. » Et Æschylus in Prometh. vinct. Act. I, sc. II: Ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς Πηγὴν κλοπαίου.

LXXXI.

PERA.

NE mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat et tetrico cum cane, pera rogat.

Γυμνοῦ ὑπληνῆτου πήρη μὴ δόρπον ἀεῖραι
Δεῖται, ὁμιλῆσαι μήτε κυνὶ συγερω̄.

1. *Ne mendica ferat.* Pera rogat, ut habeat honestiorem dominum quam Cynicum, cujus mendicata frustra cogatur ferre, et pulvini officium dormienti præstare. — *Barbati prandia nudi.* Cynici, ut versiculus proxime sequens indicaturus tibi est, Cynici qui plus etiam quam alii philosophi βαθὺν πώγωνα καὶ σεμνὸν pascit.

2. *Tristi ed. Barb.* Sic alios legere notat Schrevel. nec multum abest quin probare videatur. Prætulerim ego hoc forsitan in Cicerone aut Horatio; at notabo Martiali hanc vocem in deliciis fuisse quoties de iis loquendum foret qui gravem et morosam et plus quam Catonianam sapientiam præ se ferrent. Sic lib. I, epigramm. LXIII: «Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis Et quamvis tetrico tristior ipsa viro.» Lib. VII, epigr. LXXXVIII: «Me legit omnis ibi senior juvenisque puerque Et coram tetrico casta puella viro.» Item lib. XI, epigr. II: «Lectores tetrici, salubre discite Sanctam;» mox, ejusd. lib. epigr. XLIII: «Deprensum in puero tetricis me vocibus, uxor, Urges!» — *Cum cane.*

Hoc est, cum Cynico, nam satis notum Κύνας in Græcia, canes apud Latinos sæpiuscule Cynicos appellatos, sive, ut quidam voluere, a porticu Athenarum κυνοσάργει; sive, quod magis veri speciem in se habet, quod instar canum obvios dictis allatrarent et morderent, mendicato viverent, sordide et impudenter et sub dio degerent, ita ut in triviis etiam amata potirentur. Nec harum rerum accusati erubescabant, neque impositum a plebe nomen detrectabant: immo die quadam interrogatus Diogenes quam ob causam Canis appellaretur, hæc respondit: Τούς μὲν δίδοντας σαίνω, τοὺς δὲ μὴ δίδοντας ὑλακτῶ, τοὺς δὲ πονήρους δάκνω. Et ipse Noster lib. IV, epigr. LIII, vs. 8. «Hunc quem sæpe vides. . . . Cum baculo peraque senem, cui cana putrisque Stat coma, et in pectus sordida barba cadit. . . . Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa? Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? Canis.» Vide quoque Lucianum sexcentis in locis Colloq. mortuorum et in Βίων πράξει, Arriani Epicteti Enchiridion et dissertationes, et Athenæum, Dipnosoph. lib. XIII.

LXXII.

SCOPÆ.

In pretio scopas testatur palma fuisse;
Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

Ὡς πολύτιμον χρῆμα σάρον πέλε, μάρτυς ὁ φοῖνιξ
Ἐσί· κατήρησαν νῦν δ' ἀνάλεκτα σάρον.

1. *In pretio.* E palma enim factæ scopæ, quibus pavementum verrebatur, caræ erant. Horatius : « Ten' lapides varios lutulenta radere palma? »

2. *Otia sed scopis*, etc. Sic e MS. Beverl. recens editi libri. *Sed pretium* edd. vett. et Farnab. Et hic Calderinus, qui codd. scripturam vehementissime defendit. « *Sed pr.* codd. antiqui. Alii habent *Otia* : sed mendosa scriptura..... Codd. ferme omnes *Sed pr.* habent, non *Otia* : et ita est legend. » — *Analecta.* Hoc est, reliquiæ cœnæ; lib. VII, epigr. xx : « Colligere longa turpe nec putat dextra Analecta, quicquid et canes reliquerunt. » Sensus ergo erit si *pretium* in textu reliqueris : Scoparum pretium augetur, utpote quibus colligentur analecta. Petronius in Convivio Trimalcionis : « Insequutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere. » At si adoptaveris *Otia*, intelligendum est : Analecta dabunt scopis otia, quum ea, in pavimento e parvis testulis efficta, talia forent, ut scopis everri nullo modo valeant, et ideo otia scopis dare necesse

sit. Hoc pavementi genus a Græcis dicitur ἀσάρωτον, quod scopis verri non debeat. Ita Alexander ab Alexandro, lib. IV Genialium Dierum cap. 21. Quem, antiquæ lectionis propugnator frustra confutare aggreditur sic Calderinus : Si scopæ jam cessant, nec ullum præstant usum, cur mittuntur ab amico? Prior itaque lectio melior videtur. — Legit ingeniose satis Scriverius, *Otia sed scopis nunc analecta dubit.* Servi quidam analectæ dicti sunt, qui reliquias e mensa cadentes, et quæ pretiosiora essent scopis, colligebant, et pavimenta spongiis mundabant. — De omnibus hissi quid de nunc statui rogatus ero, legam cum Beverlando *Otia*. Nam placet sæpe Martiali antithesis, et hic eam placuisse credendum est, quæ sane tolleretur si *in pretio* et *sed pretium* in disticho sineres. At fert ægre Calderinus missum amico a poeta inutile munus! nempe spernit ipse donum suum quod exiguum, quod inane diviti pauperculus offert. Sic epigr. LXVI mamillare quoddam donum, inutile ait : « Taurino poteris pectus constringere tergo; Nam pellis mammas non capit ista tuas. »

LXXIII.

SCALPTORIUM.*

DEFENDET manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Τῶν ὤμων χεὶρ ἥδ' ἀπαλάσσεται, εἴ σ' ἀνιερῆ
Ψύλλα δάκη· ψύλλης ἢ τι βδελυκτότερον.

* *Scalptorium*. Scalprum scalpel-
lumque, inquit Raderus, memini
legere, *scalptorium* nusquam ex
scalpro. Cæterum quid *scalptorium*
sit nullo labore ex poeta discis: in-

strumentum nimirum manus in-
star, quo scapulæ (in quas digiti
se non extendunt) prurientes facile
scalpebantur, et arcebantur pulices
et pediculi.

LXXIV.

MANUALE.*

NE toga barbatus faciat vel penula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Αἱ βίβλοι πώγων' ἵνα μὴ φύσῃσι, ποιήσῃ
Πεύκη τοὺς χάρτας ἥδε πολυχρονίους.

* *Manuale*. Hoc est, ex abietis
tabulis, quibus tegebatur liber, ne
manibus aut sinu gestatus tritusque
inhorreret duro mento, quod ne-
cessario accidebat, si munitus for-
tioribus involucris non foret. Vid.
lib. I, epigr. LXVII.

1. *Barbatus*. Villosos, quales ti-
ronum libri plerumque spectantur
cornibus comatis intortisque, bar-
batus vocat poeta quod usu detriti,
quæ natura chartæ est, libri pilos,
villosque longos tennesque, velut
barbas, acquirant.

LXXXV.

LECTUS PAVONINUS.

NOMINA dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Junonis avis : sed prius Argus erat.

Οὔνομα δῶκε λέγει καλλίπτερον ὄρνεον Ἥρης
Ἐςὶ τονῦν Ἄργος δ' αὐτὸ πάροιθεν ἔην.

1. *Nomina dat spondæ.* Lecti quippe pavonini dicuntur, non quod, ut inquit Raderus, tegerentur pennis aut oculis pavonum, sed citreis tabulis quæ plumas gemmasque pavonum æmularentur. Plinius lib. XIII, cap. 18 de mensis citreis : «Sunt et undatim crispæ, majore gratia, si pavonum caudæ oculos

imitentur. » Pretiosissimi citrei lecti : unde Annæus scribit citri radices insanis pretiis licitari solitas; et Persius : « Non quidquid denique lectis Scribitur in citreis. »

2. *Sed prius Argus.* Qui nempe Junonis speculator in pavonem deæ sacrum fuit conversus. Quæ fabula vel pueris nota.

LXXXVI.

EPHIPPIUM.

STRAGULA succincti, venator, sume veredi;
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

Στρώμαθ' ὑπόζωσον, θηρευτὰ, μώνυχι κούφω·
Ἴππος γὰρ σῦκον γυμνὸς ἔφυσε θαμά.

1. *Stragula.* Intellige ephippium, quo nisi sternatur equus lædit equitem, cui nascitur ficus, ulceris genus, de quo lib. I, epigr. LXVI. De veredo seu equo velocissimo dictum lib. XII, epigr. XIV : «Parcius utaris moneo rapiante veredo. » Forte

intelligit equo succincto seu ephippiato imponendum esse stragulum. Gallice *une housse*. Sed quum dicat, *a nudo equo*, interpretor *stragula* simpliciter ephippium.

2. *Pectus pro ficus* Aldus. De fico dictum lib. I, ep. citato.

LXXXVII.

STIBADIA.*

ACCIPERE lunata scriptum testudine sigma;
Octo capit : veniat, quisquis amicus erit.

Σίγμα σεληνῶδες καμάρωμα λάβ'· ὀγδοάδος μὲν
Δεκτικόν ἐστίν· ἴκοιθ' ὅσις ἔσοιτο φίλος.

* Στιβάδιον torulus est e gramine, herbis, frondibus, seu floribus stipatus; a στιβῶ.

1. *Signum* edd. vett. — *Lunata sigma*, etc. Postquam triclinia ab usu recesserunt, et pro tricliniis, *accubita* et *stibadia* dici cœpere, ea stibadia in deliciis fuere quorum figura semicircularis erat, atque inde *sigma* nomen invenerunt. Hæc quidem Athenæus, *Dipnosophistarum* lib. X, arcui Scythico comparat (Σκυθικῶ τῶξω τρίτον ἦν προσεμφερές). Enimvero sic totam mensam non circumdabant, sed spatium in ea parte relinquebant qua circulus deficiebat, ad inferenda fercula, patinas, etc. Ex quo patet quoad formam tales lectos aliquam similitudinem cum iis mensis habuisse quæ nos hodie appellamus *en fer à cheval*, hoc tamen discrepantes quod quibus hodie patinæ feruntur, illis recumberent. *Triclinium* ergo erant tres lecti divisi et separati : *Sigma* vero unus perpetuus lectus, semirotundus, quod et *stibadium* et *accubitum* dixerunt. *Triclinium* omnibus mensis poterat convenire : *sigma* vel *stibadium* non item : nec enim minus *sigma* majori mensæ, nec majus minori coaptari poterat. Secundum igitur

mensarum magnitudinem quærenda erant parva aut magna stibadia, quæ a numero convivarum, quos capiebant dicebantur vel *Octaclina*, quum octo caperent; vel *heptaclina* quum septem, vel *hexaclina* quum sex, et ita de cæteris : hinc Martialis, lib. IX, epigr. 1.x : « Et testudineum mensus quater hexaclinon, etc. » *Salmasius*. — Ita quoque lib. X, epigr. XLVIII, v. 6. « Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis? Septem sigma capit; sex sumus, adde Lupum. » Annotandum tamen perperam modo *Salmasius* dixisse et ita de cæteris; nam plus quam octo in vastissimis et longissimis signatibus una accubuisse nusquam lego. Immo haud difficile aliquis mihi persuaserit futurum fuisse ut nono convivæ in his locus non pateret. *Lampridius* de *Heliogabalo* : « Habuit, inquit, hanc consuetudinem ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luscus, et item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos et octo pingues, quum capi nequirent uno sigmate ut de his omnibus risus citaret. — *Scriptum testudine*. Id est, variatum, pictum. Idem Noster : *Scriptus et æterno nunc primum Jupiter auro*. *Gronovius*.

LXXXVIII.

GUSTATORIUM.*

FEMINEAM nobis cherson si credis inesse,
Deciperis : pelagi mascula præda sumus.

* *Gustatorium*. Genus est mensæ quæ testudinum putaminibus exornabatur. Plinius, lib. IX, cap. 11 : « Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire Corbilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriae instrumenta ingenii. » Alii censent *gustatorium* esse idem quod repositorium, de quo Petronius

ait : « Quum subito signum symphonia datur, et gustatoria pariter a choro rapiuntur. » — Eligat lector. Præstat tamen prior sensus.

1. *Femineam cherson*. Hoc est, testudinem femineam terrestrem, quæ masculis et marinis inferior habebatur. Sic loquuntur *Gustatoria*; sicque intelligunt omnes interpretes.

LXXXIX.

MENSA CITREA.

ACCIPE felices, Atlantica munera, sylvas;
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Εὐδαῖμον δῶρημα, κίτρους Ἀτλαντίδος ὕλης,
Λάμβανε δῶρα λαβῶν χρύσε', ἔλαττεν ἔχοις.

1. *Accipe felices*. Mensam citream interpretare ex Atlante, Mauritaniae monte. Vid. lib. II, ep. XLIII. Petronius Sat. « Ecce Afris eruta terris Citrea mensa. »

2. *Aurea qui dederit*. Ita fere, ut boletorum excellentiam prædicat, lib. XIII, epigr. XLVIII : « Argentum atque aurum facile est læ-

namque... Mittere; boletos mittere difficile est. » Re enim vera maximi æstimabatur Romæ quidquid e citro, præsertimque e citri radicibus effingebatur. Duodecim millibus et quingentis philippeis, ut aiunt, citream mensam unam Cicero emit, Asinius Pollio viginti millibus, quidam pluris.

XC.

M E N S A A C E R N A .

NON sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ;
Sed norunt lautas et mea ligna dapes.

Μήτ' οὔλη, μήτ' εἰμι γένος Μαυριτίδος ὕλης·
Ἐγνώ δαψιλέας καὶ ξύλα δαῖτας ἐμά.

1. *Crispa quidem.* Ut citreæ mensæ ex Mauritania, modo ep. LXXXIX. — *Nec silvæ filia.* Non sum nata in Atlante monte et silva Maurorum, ut citrea, etc.

2. *Et mea ligna.* Secundam a ci-

tro palmam obtinuit acer, arbor amplissima operum elegantia ac subtilitate. Plin. lib. XVI, cap. 5. Unde sic dictam volunt, quod *acria* in ea artificum ingenia exerceantur. *Rad.* — Sed quantitas non eadem est. *Ed.*

XCI.

D E N T E S E B O R E I .

GRANDIA taurorum portant qui corpora, quæris,
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Σώματ' ἀειράμενοι ταύρεια πελώρια, πῶς οὐ
Καὶ σανίδας Λιβυκὰς ἄρχειοί εἰσι φέρειν;

1. *Grandia taurorum.* Elephas enim in arena exhibitus tauros dentibus jactabat, uti et rhinoceros. Unde jam Martial. lib. Spect. epigr. XI: « Elephas... Hic modo qui tauro tam metuendus erat », et XIX: Taurus..... Occubuit tandem cornuto ardore petitus. Dum facilem tolli sic elephantia putat. » Atque ita elephantum dentes eburnei facile mensam citream fulcient. Vide

lib. II, epigr. XLIII, et lib. Spect. epigr. XIX.

2. *Lybicas trabes.* Namque ex Africa (quæ apud Græcos Λιβύη) citrus optima advehebatur. Porro his plurimum elephantium dentibus mensæ sustinebantur. Juv. Sat. XI, 124, « Latos nisi sustinet orbes Grande ebur et magno sublimis pardus hiatu Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes.

XCII.

QUINCUPEDAL.*

PUNCTA notis ilex, et acuta cuspide clausa,
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Κεντητὴ σιγμαῖσι, θοῇ γλωχῖνι δεθειῖσα
Πρῖνος, ἔλεγξε πυκνῶς ἐργολάβοιο κλοπᾶς.

* Al. *Quincupeda*, ut *Decempeda*.
Marg. ed. Par. 1617. « Alii *Quincupeda*, a mensura quinque pedum. »
Schrevel.

—*Quincupedal*. Seu quincupeda, pertica scil. quinque pedum, qua moris erat metiri ædificia, quæ ex-

struenda conducebant redemptores, ne scilicet dolose agerent et de materia aliquid detraherent.

1. *Puncta notis ilex*. Hoc est, pertica facta ex ilice et distincta signis variis, pedibus nempe, digitis et palmis.

XCIII.

POCULA ARCHETYP A.*

NON est ista recens, nec nostri gloria cæli;
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

Οὐ νέον ἔς', οὐθ' ἡμετέρου κέσροιο πόνημα·
Πῖνε πάλαι Μέντωρ τοῖσδ' ἔνι, ταῦτα ποιῶν.

* *Pocula archetypa*. De archetypis copiose jam egimus ad lib. VII, ep. XI, lib. VIII, ep. VI et XXXIV, præsertim lib. XII, epigr. LXIX.

1. *Non sunt vult de Rooy*. *Doricæ pro gloria* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Cæli*. Quod est instrumentum cælatorum quo sculpunt

et cælant: hoc est: Hæc pocula non sunt nostræ ætatis. De Mentore nobilissimo cælatore diximus lib. III, epigr. XLI.

2. *Merito pro Mentor* exhibet MS. in marg. ed. Paris. 1617. Quod nullum sensum habet, respiciendumque est.

XCIV.

CALICES.*

Nos sumus audacis plebeia toreumata vitri;
Nostra nec ardenti gemma feritùr aqua.

Τολμηρῆς ὑέλου δημοπρεπές εἰμι τόρευμα,
Οὐδ' ὕλην ὕδωρ θερμὸν ἔβλαψεν ἐμήν.

* Addunt alii *audaces*. Vid. Turneb. XXX, 26.

— Hoc dicit, quia crystallina, ardenti, id est, calida aqua vitiantur, non item vitrea. Strab. lib. XVI scribit, Romæ vitrarios multa commentos esse, et ad vitreorum colores, et ad eorundem tornandorum facilitatem; tantamque ex eo vilitatem eorum fuisse, ut vulgo poculum vitreum asse venundaretur. Calices ejusmodi vitrei quos Strabo intellexit, quique Romæ tam vili pretio venum ibant, *audaces* vulgo dicebantur. Atqui *vitrum* non dicebatur *audax*, sed calices ex vitro *audaces*. *Audaces* ergo plebeii erant calices, et parvo veniebant, qui torno formabantur. Hinc *toreumata* Martiali dicta. At in sculpendis cælandisque periculum non parvum: nam sæpe inter sculpendum frangebantur. Hinc est, quod alibi Martialis ait, lib. XIV, epigr. cxv: «Aspicis ingenium Nili, quibus addere plura Dum capit, ah! quoties perdidit auctor opus.» Atque hi sunt omnino calices qui *diatreti* dicebantur. Mart. lib. XII, epigr. lxxi: «O quantum diatreta valent

et quinque comati. » Diatreti calices erant vitrei, cavati perforatique, hoc est sculpti. Διατρῆσαι enim est perforare vel cavare, quod Latini *sculpere* dicunt; qui nempe gemmas scalpunt, quasi quosdam sulcos in iis cavant, et foramina cælo imprimunt. Inde *cavatores* dicti, gemmarum sculptores. *Salmas.*

1. *Nos* edd. Schrevel. Maitt. *Barb.* at *Non* alii. — *Plebeia toreumata vitri*. Clarius alibi etiam ostendit *Toreuma* usurpasse de quolibet poculo, ubi fictiles calices sic appellavit: libro hoc, epigramm. cii: «Accipe non vili calices de pulvere natos, Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.» Nihil tamen tam contrarium τοῦ τορεύματος significationi, quam quod leve est, ac sine ulla inæqualitate, quam τρυπητικὴ præstat. Fictilia quidem vasa etiam τορεύματα dicta, sed ea tantum quæ signis cælatis erant aspera. At levia et pura nullo modo τορεύματα dici possunt. *Salmas.*

2. *Nostra*, etc. Neque nos, ut crystallina illa, rumpimur calida aqua. Vid. supra, lib. XII, epigr. lxxv, vs. 6.

XCV.

PHIALA AUREA CÆLATA.*

QUAMVIS Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis : nam Myos iste labor.

Εἰ καὶ Καλλαϊκοῦ πέλομαι γέννημα μετάλλου,
Καυχῶμαι τέχνη, τοῦ Μυὸς οὔσα πόνος.

* Divitis viri munus, ut quos proxime videbimus indicatos Vatinii calices, pauperum. Genus erat crateris patulum et grande satis, poculo communi certe grandius. At voluere Græci dictam eam φιάλην, quasi πιάλην, per literarum mutationem, ut sit ἡ τὸ πιαῖν ἄλις παρέχουσα. Quæ derivatio, quamvis, ut antiquorum fere omnes, absurda eo existimanda sit quod syllabarum unicuique velint unam simplicem vocem respondere, id indigitat, magnitudine notabilem φιάλην fuisse. E Tuscia vero eæ vulgo mittebantur quæ aureæ vel auro distinctæ. Athenæus, lib. I : Τυρσηνὴν δὲ κραταῖ χρυσότυπος φιάλη; hoc est, Ex auro sculptas Tuscia dat phialas.

1. *Quamvis Callaico*, etc. Ipsa a Poeta hic inducitur phiala aurea loquens et de se gloriatur, qua auro, qua arte, aurum nempe a loco commendans et artem ab artificis nomine. Licet, inquit phiala, sim confecta ex auro Callaico pretiosissimo et idcirco pretiosissimam me jure meo dixerim, tamen præstantior sum propter artificium

Myos, nobilissimi artificis. Videatur infra. — *Callaico*. Hoc est, hispano auro; Callaici enim gentium hispanarum una fuere, tum incolarum numero et fortitudine, tum soli latitudine et ubertate celeberrima. Tarraconensis provinciæ, qua vergit illa in occidentem et Atlanticum Oceanum, extrema in parte sita erat, et regionem occupabat quæ paulisper immutato nomine et emollito duriuscularum syllabarum sono Gallæcia, deinde *Galice* appellata est.

2. *Myos iste labor*. « Antea inepte legebatur *meus iste labor*. » Schrev. Sic edd. vett. et Maitt. — *Glorior arte magis*. Quasi diceretur *Materiam superavit opus*. Quanti autem quorundam operam et ingenium in cælandis vel pretiosissimis metallis Veteres fecerint, uno exemplo declarabitur. Ait Plinius lib. XXXIII, cap. 12, a Pithea factas duo phialas quæ quum binarum unciarum pondere essent, viginti unciis æstimatæ fuerunt. — *Myos iste labor*. Celebris artificis, ut lib. VIII, epigr. xv.

M. VAL. MARTIALIS

XCVI.

CALICES VATINII.*

VILIA sutoris calicem monumenta Vatinî
Accipe : sed nasus longior ille fuit.

* *Vatini calices* habent edd. vett.

1. *Calices* : vid. Var. Not. — *Calicem*. Qui habebat quatuor ansas seu nasos. Juv. Sat. V, 46 : « Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quatuor, etc. » Namque nomen habuere a Vatinio sutore Beneventano, cujus inventum fuere ; vel (ut alii volunt) ad cujus prominentis nasi similitudinem effingebantur isti calices vitrei, quatuor nasos habentes. An itaque simpliciter dicit, Vatinium habuisse longiorem nasum ? an ingenio fuisse acriori, quod hos invenerit ? an derisorem deridet ? An

denique, quod sagax fuit inquisitor criminatorque, postquam ad tantas opes pervenisset, ut munus ederet ? Xiphilin. in Nerone. Lib. X, epigramm. III : « Vatiniorum proxeneta fractorum. » Tacitus lib. XV : « Vatinius inter fœdissima ejus aulæ (supple, Neronis) fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, etc. » Calices Vatinii dicti sunt, quod nasuti essent, ut ille Vatinus. — Postremus hic sensus unice bonus, nempe Vatinium fuisse acrem et sagacem calumniatorem.

2. *Ipsæ legendum censet de Rooy.*

XCVII.

LANCES CHRYSENDETE.

GRANDIA ne viola parvo chrysendeta mullo ;
Ut minimum, libras debet habere duas.

Μὴ μεγάλα χραίνοις τυτθῇ χρυσένδετα τρίγλη·
Ἡ δὲ δίλιτρος ὅμως, ὡς ἐλάχισον, ἔοι.

1. *Mulso* edd. vett. « Forte *mullo* », impressum habet marg. ed. Paris. 1617. — *Chrysendeta*. Lances erant aureis crustis exornatæ, de quibus lib. II, ep. XLIII : « Immodici tibi

flava tegunt chrysendeta mulli. » In pretiosis lancibus non nisi ingentes pisces reponendi sunt.

2. *Dicat pro debet* cod. MS. in marg. ed. Paris. 1617.

XCVIII.

VASA ARETINA.

ARETINA nimis ne spernas vasa, monemus;
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Σκευέων Τούσκων, παραινῶ, μή σ' ἄγαν καταφρονεῖν·
Τοῖςδε γάρ ποτ' ἦν μάλιστα δαψιλῆς ὁ Πορσένας.

1. *Aretina*. Fictilia scilicet. Vide lib. I, epigr. LIV: «Sic Aretinæ violent crystallina testæ.» Aretium, alii Arretium, hodie *Arezzo*, urbs

Tusciæ, ubi conficiebantur hæc vasa quibus (nam tunc splendidiora ignorabantur) utebatur Porsena, qui in illa regione regnavit.

XCIX.

BASCAUDA.*

BARBARA de pictis veni bascauda Britannis;
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Ἦκω ἀπὸ σικτῶν ξείνη βάσκαυδα Βριτάννων.
Ῥώμη ἐὼν δὲ καλεῖ μ' ἐξιδιασαμένη.

* *Bascauda*. Vas quoddam escarium quod in Britannia conficiebatur. Juvenalis Sat. XII, 46: «Adde et bascaudas, et mille escaria.»

1. *Barbaru*. Barbaros a Græcis nuncupatos fuisse omnes alienigenas nullus nescit. Quod deinceps imitatione prosecuti sunt romani; quamquam tamen hoc nomine eos populos libentius et sæpius designarent qui literarum et artium et elegantiarum ignari erant; quos

hodie nos vocamus *sauvages*.— *Pictis*. Nam Britanni sibi inficiebant variis coloribus corpora, cæruleo præsertim, ut aiunt quidam, ad id excitantes lib. XI, epigr. LIV, vs. 1: «Claudia cæruleis quum sit Rufina Britannis Edita». Certe Cæsar. Bell. Gall. lib. V: «Omnes vero se Britanni luteo inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.»

2. *Sed me jam*. Romæ enim tunc fiebant bascaudæ.

C.

PANACA.*

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhaetica vina mea.

Εἴ γ' οὐκ ἔγνωσας πικρὴν λογίῳ Κατύλλου,
Ἐν κρηταῖς ἔτις Ραιτυῶν οἶνον ἔμοῖς.

* *Panaca* suppl. *pana*. idem quod
testat *Panacura* *opus* *Panacur*
autem *propria* *Rhaetia* *admirat* *Ra-*
detus. de quibus tamen nos nihil
referimus.

† *Panaca* *Verona* *nimi-*
rum, *pana* *Catullus* *de* *qua* *jam*
lib. I. *origo* *vini* *pana* *Veronam*

usque pertinebat Rhaetia, hodie *les*
Grisons, ubi vinum generosum.
Suetonius in Augusto cap. 77 : « Et
maxime delectatus est Rhaetico »,
supple vino. Et Virgilius, Georgi-
con lib. II, 96 : « Et quo te car-
mine dicam, Rhaetica? nec cellis
ideo contende Falernis. »

CI.

BOLETARIA.

Qui u mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu! servio coliculis.

Ἢ καὶ ἐγὼ αἰνεῖσιν ἐπώνυμός εἰμι μύκησι,
Πρωτοτομῆς, ὦ πᾶν αἶσχος! ὑπηρετέω.

† *Quo* *pana* *Nempe* *a* *boletis* *di-*
cunt *boletarium*, *patina* *scilicet*
cu *boletum* *pulmenta* *poneban-*
tur *et* *qui* *ad* *mensam* *inferebantur*.
De *boletis* *videndum* *est* *ad* *lib.*
III. *opus* *xviii*

† *Prototomis* *margin. ed. Langii.*
Prototomis *Hoc* *est*, *caulibus*
adhuc *tenuis*, *et* *qui* *primi* *succi-*
ditum *nascente* *vere*. *Vide* *ad* *lib.*
V. *opus* *xviii*, *et* *Plinium* *qui*
lib. VII. *cap. 8.* *seu* *41*. *Cymas*

a prima sectione præstat proximo
vere. Hic est ipsorum caulium de-
licatior, teneriorque cauliculus. Api-
cii luxuriæ, et per eum Druso Cæ-
sari fastiditus, non sine castigatione
Tiberii patris. » *Prototomi* *autem* *a*
πρῶτος, *primus* *et* *τέμνω*, *scindo*,
unde *τέμεις*, *sectio*, *quasi* *dicat* *pri-*
ma *sectio*. Porro conqueritur bole-
tarium, quod etiam inserviat ad
ferendos coliculos, cibi genus bo-
letis longe inferius.

CII.

CALICES SURRENTINI.

ACCIPERE non vili calices de pulvere natos;
Sed Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Οὐ μὴν δημοτικῆς ἐξ ἰλύος, ἀλλὰ κυλίχνας
Τοῦ Σουρρέντινου δέξο τόρευμα τροχοῦ.

2. *Sed Surrentinæ.* Surrentum, alii Surrentum, Picentinorum urbs juxta Tyrrhenum mare, hodie *Sorrento*, ubi terra est poculis conficiendis optima. De calicibus Sur-

rentinis Plinius lib. XXXV, cap. 12: « Retinet hanc nobilitatem et Arretium in Italia et calicum tantum Surrentum » — *Toreuma.* De toreumate dictum l. IV, ep. κκκix.

CIII.

COLUM NIVARIUM.*

SETINOS, moneo, nostra nive frange trientes;
Pauperiore mero tingere lina potes.

Σητίνους κώθωνας ἐμαῖς χιόνεσσι δίηνον·
Τὰς δ' ὀθόνας οἴνω τέγγε χειριτέρω.

* *Colum nivarium*, quod et *quallum* dixerunt, vas erat, in quod optima vina injiciebantur, quorum ita vis potiusve calor frangeretur. Quod in hunc modum fiebat: nives injiciebantur in colum deinde vinum infundebatur, quod per nives dum flueret, frigus induebat, secumque trahebat. Notum vero est in primis placuisse Romanis sic refrigeratas potiones, sive ob regionis suæ calorem ardentissimum,

sive quia in editissima ædium parte servata vina, non eodem quo apud recentiores frigore adpersa mensis imponerentur.

1. *Setinos trientes.* Hoc est, vinum Setinum, de quo lib. XIII, suo lemmate diximus.

2. *Pauperiore mero.* Id est, lino, seu saccis linteis, non colo dignum quod refrigeretur. Diximus nempe supra æstimatissimum inter vina Setinum fuisse.

CIV.

SACCUS NIVARIUS.*

ATTENUARE nives norunt et lintea nostra;
Frigidior colo non salit unda tuo.

Καὶ χιόνας λινοῦν λεπτύνειν οἶδεν ὕφος μεῦ·
Ψυχρότερον δ' ὕδωρ οὐ τεὸς ἠθμὸς ἔχει.

* Saccus linteus inferior erat colo nivario, quod vas erat vino refrigerando idoneum: attamen aqua sacco transmissa non minus quam colo refrigerabatur. Vide supra quæ notavimus ad lib. II, epigramm. XL et lib. XII, epigramm.

LX. Ex hac autem voce *saccus* derivatum est *saccare* quod proximum est τῷ *colare*. Idem *liquare* quoque significat, sed generaliori et minus stricto sensu, quippe quod non indicet colone an sacco ad liquandum usus eris.

CV.

URCEOLI MINISTRATORII.*

FRIGIDA non desit, non deerit calda petenti;
Sed tu morosa ludere parce siti.

Οὐ ποτε γνῦν, ψυχροῦ παρόντος, ἀπέσσεται ὕδωρ
Θερμόν· ἀτὰρ δίψει μηκέτι παῖζε κακῶ.

* *Urceoli*. Bayfius de Vasculis sic ait: Urceus, cujus diminutivum urceoli, vas aquarium, ut tamen urceus esset vas ad frigidam, urceoli ad caldam: inde urceoli ministratorii apud Martialem. Vide epigr. CXVI, CXVII et CXVIII.

2. *Sed tu morosa*. Hoc est, Tu ne nimis delicatus et difficilis sis in

commixtione aquæ frigidæ et calidæ cum vino. Nam morosam sitim vocat sitim delicatam cui nihil nisi exquisitum sapit, non, ut suspicatus est Raderus, quæ moras parit et bibendi raritatem, ita ut convivas hospes impediatur ne sæpius bibant, oblatarum rerum fastidium simulans.

CVI.

URCEUS FICTILIS.*

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa;
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

* *Urceolus fict.* exhibet Raderus.

1. *Ruber.* A terra scilicet vel igne.

2. *Bibebat alii.* — *Stoicus Fronto.* Ut ab aliis cognominibus separet, hunc Frontonem a secta appellavit. Plures enim Frontones fuere: Julium Frontonem celebrat Tacitus in rebus Othonis, Titi Vespasiani familiarem; alium Josephus nominat; Frontonemque consulem laudat Dion' in Nerva, et Licinium Frontonem Ulpianus sub imp. Antonino. Martialis lib. I, epigr. lvi, Frontonem consulem illo versu:

« Clarum militiæ, Fronto, togæ que decus »; de quo Juven. sat. I, 12, et Josephus. Poeta lib. V, epig. xxxiv, patrem suum Frontonem nominat. Hoc versu dicerem laudatum Cornelium Frontonem Catium oratorem clarissimum, Antonini philosophi præceptorem, virum Dionii in Adriano, Plinio lib. II, epist. 11, lib. VI, epist. xiii commendatum, quod vero simile videatur discipuli philosophi philosophum fuisse magistrum et Stoica disciplina probatum, quæ hac tempestate a sapientioribus celebrabatur. *Rad.*

CVII.

CALATHI.

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Ἄμμ' ἔχε τοὺς γε φιλεῖ Βρόμιος, Σάτυροί τε, τίγρις τε,
Ἢ θεοῦ ὑδροφόρους λείχεμεν οἶδε πόδας.

1. *Nos Satyri.* Calathorum usus fuit in sacris Bacchi et Satyrorum. Vide Eclog. V, 71, Virgilii.

2. *Perfusos domini.* Vino enim ci-

curata tigris magistri pedes lambit; Spect. xviii, 1 et seq. « Lambere securi dextram consueta magistri, Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo. »

CVIII.

CALICES SAGUNTINI.

QUÆ non sollicitus teneat servetque minister.
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Οὐς δμῶς οὐ κρατέει περιταρβῆς, οὔτε φυλάσσοι,
Δέξο Σαγοντείου πλάσμα τροχοῦ κύλικας.

1. *Quæ non.* Saguntum urbs est in Hispania Tarraconensi, hodie *Morviedro*. De poculis fictilibus, quæ illic fierent, jam diximus lib. IV, epigr. XLVI, 15. Erant autem illa vi-

lioris pretii (asse enim aiunt vulgo venum data ea), atque ita servus, dum hæc ad mensam ferret aut a mensa reportaret, parum metuebat ne frangerentur.

CIX.

CALICES GEMMATI.

GEMMATUM Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aspice : quot digitos exuit iste calix!

Ὅφρα διασιῆλοι Σκυθικαῖς χρύσωμα λίθοισι,
Δάκτυλ' ὀρᾶς οὔτος πόσσ' ἀπέδυσσε κύλιξ.

1. *Gemmatum*, etc. Argenteis poculis non gemmæ, sed aurea in-se-rebantur emblemata; quæ et *chry-scndeta*, et *chrysocolleta*, et *chryso-clista* inde dicebantur. Sic gemmæ aureis poculis, aurum argenteis includebatur; crystallina autem et myrrhina nullis istiusmodi emblematis usquam incrustata, quæ pura et siucera per se magis placebant. *Salmasius*. — *Scythicis ignibus*. Smaragdus nempe de quibus dictum ad

lib. IX, epigr. LX, vs. 17. — *Aurum*. Poculum aureum.

2. *Quot digitos*, etc. Namque Romani, quanquam immensis et prope inexhaustis divitiis forent, annulis manum exuebant pocula ornaturi. «Eo processit luxus, ut multi gemmas digitis detractas poculis inserant.» Plin. lib. XXXVII, cap. 2. Vid. præterea de hoc Juven. sat. V, vs. 43. «Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert A digitis.»

CX.

AMPULLA POTORIA.

Ἡὰς licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose, bibas, si foliata sitis.

Ἐξ ὑέλου ταύτης, ἧ Κόσμου ἐπώνυμός ἐστι,
Πίνοις κ', εἰ διψῆς πίονα μαλόεαθρα.

* *Ampulla.* Ampulla unum erat ex vasibus unguentariis, quæ tunc quum multa essent et multiplicis formæ, multiplex nomen ferebant, qualia pyxides, alabastra seu alabastri, holcia, lecythi, crussi, pyeli, onyches; demumque *ampullæ*. Illis ergo primum nihil præter unguenta infundebatur, sed luxus eo devenerat, ut ad bibendum illis uterentur Romani, ut nempe delicatissimis odoribus nares sibi etiam in perpotando pascerent. Plinius lib. III, cap. 3, « At hercule jam quidem etiam in potu addunt. » Supple, unguenta exotica. Ex his jam patet quam ob causam huic voci, *ampulla*, Noster in lemmate hanc præterea addiderit *potoria*.

1. *Gemmatis fruatque* Beverl. MS. pro *gemma, quæ servat*. — *Nomina Cosmi*; Nimirum Cosmiana dicta a

Cosino unguentario; ut « Cosmianis ipse fusus ampullis », et lib. XI, epigr. 1, 6, « Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx. » — Falli hic interpretes reor, et libenter crediderim curavisse Cosmum insculpi et ampullis et ὄνοζιν et iis omnibus vasculis quæ unguentorum plena vendebat nomen suum, cælaturæ modo quodam arcano, ne posset ex aliis unguentariis ullus quasi Cosmianum aliquid tradere quod e Cosmi manibus elaboratum non foret. Ampullæ omnis liquor jam exhaustus est, neque quidquam Cosmii jam remanet, nisi Cosmianum nomen et odor; huic jam vinum infundi licet.

2. *Si foliata.* Quæ sic explicat Plinius lib. XIII, cap. 1. « Nardium, sive foliatum, constat omphacio, balano, costo, junco, nardo, amomo, myrrha, balsamo. »

CXI.

CRYSTALLINA.*

FRANGERE dum metuis, frangis crystallina : peccant
Securæ nimium sollicitæque manus.

Θραύσασθαι δεδιῶς θραύεις κρυστάλλινα· χεῖρ τοι
Σφάλλεται ἢ τε τρέουσ', ἢ τ' ἀμέριμνος ἄγαν.

* *Crystallina*. Crystallus proprie (et id quidem indicat Græca vox κρύος, *frigus*) glacies gelata longo tempore et denso frigore; de qua fuse Plinius lib. XXXVII, cap. 2.

1. *Peccant Securæ*, etc. Alii legunt: *peccat Secura nimium, sollicitaque manu*; et *peccas* in marg. ed.

Langii. — *Peccant Securæ*. E manibus servi nimium solliciti, sicut et negligentis et timentis de se nihil, excidunt crystallina, quæ valde fragilia sunt; namque certa parum est, immo vacillat manus et tremitt, dum quæ tenes nimium metuis ne ex ea tibi elabantur.

CXII.

NIMBUS VITREUS.

Ab Jove qui veniet, miscenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas : hic tibi vina dabit.

Ἐκ Διὸς ἡ νεφέλη κατιοῦσ' ἐς ἀμυστίδα μακρὰν
Πολλάκι δώσει ὕδωρ· πολλάκι δ' ἦδε μέθυ.

1. *Ab Jove*. Nam ætheris princeps Jupiter credebatur nebulas fingere, diluere, condensare, etc. Unde Homericum hoc: Νεφεληγερέτα Ζεὺς.—*Miscenda ad pocula*, etc. Quibus diluatur merum.

2. *Tibi*. Pro *tibi* in marg. Par.

1617. legitur quoque.—*Fundet nimbus*. Hoc est, imber e cælo decidens. — *Vina dabit*. Ut nimbi theatrales aspergunt crocum per latentes fistulas in immensam altitudinem expressum, lib. de Spect. epigr. III, vs. 8; ita hic vinum.

CXIII.

MYRRHINA.*

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, et melior fit sapor inde mero.

Εἰ γε θέλεις φλογόεντα πιεῖν, πρέπει ἤδε Φαλερνὸν
Σμύρνα, καὶ ἠδύποτον τῆδ' ἐνὶ μᾶλλον ἔχεις.

* *Murrina* inscribitur in nonnullis, quod defendit Salmas. Vid. not. infra.

1. *Si calidum potus*. Vid. lib. IX, epigr. LXXIV, lib. XIII, epigr. x; et, Plinius lib. XXXVII, cap. 2: « Oriens murrhina mittit: inveiuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus maxime Parthici regni: præcipue tamen in Carma-

nia. Humorem putant sub terra calore densari. » Fuse explicat Raderus, quid sint murrhina. Græce μύρρινα et μύρρινα: Græci enim sæpe u Latinum diphthongo ou, vel vocali o, vel u, efferunt, ut Λούκευλος, Πόπλιος, Τύλλος. Plerique legunt *myrrhina* propter u. Vid. lib. III, epigr. xxvi.

2. *Fit marg.* ed. Langii.

CXIV.

PATELLA CUMANA.

HANC tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

Σοὶ λοιπὰδ' ἐκ πηλοῦ ταύτην Κύμηθεν ἐρυθροῦ,
Δημότιν ἐξ ἰδίης πέμψε Σίβυλλα πάτρης.

1. *Hæc Beverland*. MS. *Cumanae rubicunda* idem. *Testæ* id. — *Hanc tibi Cumano*. Plinius, lib. XXXV, cap. 12: « Nobilitantur iis », fictilibus nempe, « oppida

quoque, ut Rhegium et Cumæ. »

2. *Pro casta* idem *charta*. — *Municipem*. Hoc est, factam Cumis, hodie *Cuma*: ubi erat Sibylla, de qua diximus lib. IX, epigr. xxx, 3.

CXV.

CALICES VITREI.

ASPICIS ingenium Nili : quibus addere plura
Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus!

Τὴν Νείλου σοφίην ὀράας, ἧ πλείονα προσθεῖς
Ποσσάχ' ὁ τεχνίτης ὤλεσεν ἔργον ἑόν! .

1. *Adspicis ingenium Nili, etc.* Vitreos hos calices fuisse in quibus Ægypti ingenium artificiumque ostentabatur, arguit lemma: sed qua in re spectabatur ars illa? an in colorum varietate? minime. In sculptura igitur et in cælatura visebatur; vitrum enim olim etiam argenti modo cælabatur. Plin. XXXVI, 26; « aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili ». In flatu figurandis vitris, ut nunc moris est, et in torno terendis, ut olim etiam solebant, nullum operis periculum. Nam et *audaces*, qui plebei erant calices, et parvo veniant, torno formabantur: hinc *toreumata* Martiali dicta. At in sculpendis cælandisque periculum non parvum: nam sæpe inter sculpendum frangebantur. Hoc est, quod ait Martialis: « quibus addere plura Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus! » Atque hi sunt omnino calices qui *diatreti* dicebantur; vide quæ dicta lib. XII, epigr. LXX, ad illam notam *diatheca* seu *diatreta*; et conf. aliam in l. XIV, ep. xciv. *Salmas.* — Hi autem vitrei calices diversi coloris erant; itaque Adrianus Imp. *allas-*

sontes dixit in epist. ad Servianum: « Calices tibi *allassontes versicolores* misi. » Quod *allassontes* cave ne cum quibusdam accusativum credas ab ἀλάζων, *audax, arrogans*; nam ἀλάζων habet in genitiv. ἀλάζονες, ergo in accusat. ἀλάζονα et ἀλάζονας, sed crede ab ἀλλάσσω aut ἀλλάττω (*vertere*) derivari; neque ergo sensu eodem accipias ac *versicolores*. Vide Scalig. ad Propert. lib. IV. — Quid autem sit hic *versicolor* color fortitan requiras. Anne idem cum *vario, variegato*? Ne id credito; haud irrita in verbis ipsis ita occurrit discrepantia, sive Romana, sive Græca lingua usus eris. Nam Græci habent πείκιλον et ἀλλάττεντα, quæ et ipsa diversa sunt. Porro varium hoc est quod variis et plurimis coloribus sine ordine certo, sine lege distinctum est; *versicolor* quod hoc modo, modo illos, prout vertitur sol radiique decidunt, colores vicissim induit. Et ut perspicue magis rem ambiguum indicemus, *varius* gr. πείκιλος, id fere est quod nos vocamus *marbré*; *versicolor* (ἀλλάττων) id fere quod *moiré*. ED.

2. *Faciens pro quoties* cod. Bev. — *Perdidit auctor opus.* Fregit in ipso opere.

CXVI.

LAGENA NIVARIA.*

SPOLETINA bibis, vel Marsis condita cellis;
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

* Inscriptio in cod. Thuan. est *Lacona nivata*.

1. *Spoletina*. De Spoletino et Marsico vino dictum lib. XIII, epigr. cxx et cxxi.

2. *Quo tibi*. In quem usum erit tibi aqua decocta, et quæ deinde refrigerata pretiosa habebatur, et præstantissimo tantum vino conveniebat? neque enim *nobile decoctæ* (de qua lib. V, epigr. lxxv, vs. 2.) convenit cum vilioribus viuis, epigr. cxx et cxxi lib. ejusd. Aqua autem decocta in nivibus iterumque refrigerata magno in pretio habebatur. Plinius XXXI, cap. 3: « Neronis principis inventum

est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. » Tum id. lib. XIX, cap. 4: « Heu, inquit, prodigia ventris! Aquæ quoque separantur, et ipsa naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in gulæ voluptatem vertunt. Servatur aliorum æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat; decoquunt alii aquas, et mox hie-mant. » Juv. sat. V, 50: « Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. » Vid. insuper de hoc Senecæ epist. 15 ad Lucilium, Sueton. in Neron. Plutarch. Sympos. l. VI, Lamprid. in Heliogabalo, et Athenæus.

CXVII.

NIVES.*

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Οὐ χιόνας πίνειν μὲν, ἀτὰρ ψυχροταγὲς ὕδωρ
Ἐκ χιόνων πίνειν, δίψος ἐφεῦρε σοφόν.

* *Aqua nivea* ed. Barb. tam sæpe solitudinis amans et aliarum ead. societatem exosa.

1. *Non potare nivem*. Sed aquam decoctam ex ipsis nivibus, et deinde refrigeratam. Vid. epigr. cxvi.

CXVIII.

IDEM.

MASSILIÆ fumos miscere nivalibus undis
Parce, puer, constet ne tibi pluris aqua.

Μασσαλίας καπνούς χιονώδεσιν ὕδασι μίσγειν
Φεΐδεό σοι ἵνα μὴ πλείονος εἶη ὕδωρ.

1. *Fumum* in marg. ed. Langii.
— *Massiliæ fumos*. De vino Massiliæ
fumoso diximus lib. X, ep. xxxvi,
et lib. XIII, epigr. cxliii.

2. *Constet ne*. Aqua enim decocta
erat carior hujusmodi vino. Simili
acumine gaudet Poeta: nam con-
sona his jam vidimus quum de

aceto et de aqua loqueretur lib. III,
epigram. LVII: « Callidus imposuit
nuper mihi caupo Ravennæ; Quum
peterem mixtum, vendidit ille me-
rum »; et lib. XIII, epigr. cxlii,
« Amphora Niliaci non sit tibi vilis
aceti; Esset 'quum vinum, vilior
illa fuit. »

CXIX.

MATELLA FICTILIS.*

DUM poscor crepitu digitorum, et verna inoratur;
O quoties pellex culcita facta mea est!

Δεσπότηω ψόφω αἰτοῦντός μ', ἀμελοῦντος ὑπουργοῦ,
Ποσσάκις ἢ τρωμνὴ παλλακίς ἔπλετ' ἐμοί!

* Nulla est in hoc epigrammate
varietas lectionum.

1. *Poscor crepitu*. Lib. III, epigr.
LXXXII, 15: « Digiti crepantis signa
novit eunuchus. »

2. *Pellex culcita*. Pellex proprie

illa dicitur quæ legitimæ uxoris
loco nuptialem torum invadit. Hinc
significavit *æmula*, *rivalis*. Et hic
per catachresim matellæ pellex cul-
cita pronuntiatur, quia loco ma-
tellæ urina ipsa perfundebatur.

CXX.

LIGULA ARGENTEA.*

QUAMVIS me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

* *Ligula*. A lingua deducitur : tamen usus invaluerat ut *ligula*, non *lingula*, diceretur, quam Gellius lib. X, cap. 25 definit « gladiolum in speciem linguae factum.»

Sic Poeta carpit grammaticos, qui, usu neglecto, nominis etymologiae pertinaciter adhærent. Ligula est etiam mensurae genus. Vide lib. V, epigr. XIX, II.

CXXI.

COCHLEARIA.*

SUM cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis;
Numquid scis, potius cur cochleare vocer?

* *Cochleare* cod. Beverl. exhibet.

— *Cochlearia*. Supple *ligula*, inquit Farnabius. Ad quid enim referretur *habilis* et *utilis*? Mihi vero videtur Poeta *σολικίζειν* : aut mendum est in lemmate. — Sed vid. not. seq.

1. *Habilis*... *utilis*. Utraque vox feminini aut masculini generis, quam tamen *cochleare* neutrius sit. Idne mirandum valde? et dices, ut dixere quidam, Martialem *σολικίζειν*? Minime; nam *cochleare* de se loquitur : porro illa tantum neutrius generis merito videntur quæ inanima, quæ et vitæ et sensus expertia sunt; quæ autem loquuntur aut loqui finguntur, ex eo solum quod loquuntur, jam non inanima

sunt, et quum se nominant, vel masculino vel feminino generi sese addicunt. Si tamen supra *cochleare* dixisset quid haberet nominis, minus forsitan placeret neutrius loco feminineum aut masculinum genus; quum autem id non acciderit, jure suo *habilis* non *habile*, *utilis* non *utile* Noster dixit.

2. *Cur cochleare*. Gallice *cuiller*, sorbendis ovis non minus quam cochleis inservit. Sed quia, inquit Raderus, ad usum cochlearum primum inventum reor, nomen inde retinuit potius, quam ab ovis accepit. Aut, ut ait ingeniosius Domitius, cochlearia appellata sunt a specie cochlearum, non ab alicujus cibi usu.

CXXII.

ANNULI.*

ANTE frequens, sed nunc rarus nos donat amicus;
Felix cui comes est non alienus eques.

* *Anuli* edd. antiquæ. Antiqui, teste Festo, scribebant *Anulus*.

1. *Mittit Par.* 1617 in marg. — *Ante frequens*. Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. IX, cap. 24: Ante dicit solitos esse divites multis censum equestrem supplere, annulosque aureos dare, qui equitum erant gestamina, quod ætate

sua rarum queritur: verumtamen felicem dicit qui comitem habet equitem non alienum, sed suum, quem ipse sua liberalitate equestri censu donato equitem fecerit; ut ad lib V, epigr. XIX, 10: «Aut quem prosequitur non alienus eques?»

2. *Comis* cod. Beverl. repugnante rhythmo, nisi deleatur *tò est*.

CXXIII.

DACTYLIOTHECA.*

SÆPE gravis digitis elabitur annulus unctis;
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Πολλάκι δακτύλιος λιχανοῦ λιπόωντος ὄλισθε·
Τηρήσει δὲ λίθον τὴν σέο πίσις ἐμή.

* *Dactyliotheca*. Habuere ut videtur antiquitus edd. lib. *Dactyliotheca*; pro quo jussit Raderus, et id merito, rescribi *dactyliotheca*. Nam δακτύλιον Græce *annulus* est, δάκτυλος, digitus; ita ut δακτυλοθήκη esset digitorum repositorium; quod absurdum. De *dactyliotheca* seu *dactyliotheca* jam diximus ad lib. XI, epigr. LIX, 1.

1. *Sæpe gravis annulus*. Juv. Sat. I, 26, in Crispinum: «Quum pars

Niliacæ plebis, quum verna Canopi Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ. » Eo autem deliciarum et mollitiei provenerant mores Romanorum, ut annulos alios æstivos et leviores, alios hibernos et eos graviores haberent. Cæterum quoque annotandum est iis in usu fuisse, omnibus digitis annulum, immo et sæpe annulos, gestare. Vid. lib. XI, epigr. jam cit.

CXXIV.

TOGA.

ROMANOS rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Σεῦ χάριν Αἰνέαδαι κρατεροῦ, τηβεννοφόρων τε
Ἡ πόλις, ὅς ρα δόμους ἄστρα τοκῆϊ ποιεῖς.

1. *Romanos*. Versus est Virg. *Æn.* I, 286. *Gentemque togatam*. Populum Romanum intellige, qui toga utebatur et quodammodo gloriabatur. Certe sub jugum missis populis toga romana interdicebatur, et in romanis provinciis gaudebant Romani togam induere. Cæterum de toga sæpius dictum supra.

2. *Qui dedit*. Domitianum intellige, qui Vespasiano suo patri mortuo divinos honores tribuit, et Flaviæ genti templum condidit, de quo lib. IX, epigr. iv. Alii intelligunt Augustum, qui Julium Cæsarem patrem suum adoptivum publice in numerum deorum retulit. Sed malim Domitianum interpretari.

CXXV.

IDEM.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula sæpe toga.

1. *Si matutinos*. Hoc est, si salutationes matutinas obire potueris, accipies quidem sportulam, sed togam atteres. Adi rursus, si libet, loca plurima in quibus de anteamulationum multitudine conquiritur lib. II, epigr. LXXIV; lib. III, epigr. XLVI; lib. X, LXXIV et CVI; lib. XI, XXIV. Vid. quoque lib. XIV, epigr. XXVI.

2. *Attrita* Salmas. Vid. infra. *Pro sæpe*, in marg. ed. Langii *multa*. — *Attrita*, etc. Legendum: *Attrita veniet sportula sæpe toga*. Vulgo *Attrita*, perperam. Loquitur enim de toga salutantium. Forum enim toga conterebar, qui potentiores colebant, eorumque limina matutinis salutationibus frequentabant, ut sportulam lucrarentur. *Salmas*.

CXXVI.

ENDROMIS.

PAUPERIS est munus, sed non est pauperis usus;
Hanc tibi pro læna mittimus endromida.

Εἰ καὶ ἔδωκε πένης, οὐκ ἔστι φόρημα πένητος·
Τήνδ' ἀντὶ χλαίνης πέμπομεν ἐνδρομίδα.

1. *Sed non est.* Endromide enim in gymnasiis utebantur divites. Fortean ut in arena vel sub xystis currebant aut matutinis cursitationibus indulgerent facilius, quod declarat quam Ἐτυμαλγίαν vocant? Erat vestis villosa, et hiemis tempore potissimum in usu erat, ut ille demonstrat Juvenalis versiculus in Sat. III, 102: «Igniculum brumæ si tempore poscas, Accipit endromiden.» Illam copiosius Martialis

ipse lib. IV, epigr. XIX, descripsit simul et laudavit: «Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam, Quæ lacedæmonium barbara nomen habet, Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri.... Ridébis ventos hoc munere tectus, et imbres; Nec sic in Tyrio sindone tutus eris.»

2. *Togula* in edd. vett. Gruterus ex Bong. et Palat. *læna*, et subscribit Arond. *cæna* cod. Beverl.

CXXVII.

CANUSINÆ FUSCÆ.*

ἮΕC tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit: gaude; non cito fiet anus.

Τήνδε ταραττομένω δέξαι παραπλήσιον οἴνω
Ἐκ Κανόσας, γήθων· οὐ ταχὺ γραῦς ἔσεται.

* *Canusinae.* Lanæ istæ, ut versu priore videbis, mulsi turbidi colorem referebant. Canusium vero Apulorum Dauniorum oppidum,

hodie *Canola*, unde lanæ Canusinae.

2. *Non cito fiet anus.* Hoc est, vestis ex hac lana confecta non cito deteretur.

CXXVIII.

BARDOCUCULLUS.

GALLIA Santonico vestit te bardocucullo;
Cercopithecorum penula nuper erat.

1. *Santigo* cod. Thuan. — *Gallia Santonico*. Bardocucullus vestis erat vilior, de qua lib. I, epigr. LIV, 5 : Fiebat apud Santones, Galliae Aquitanicae populos, hodie *Saintonge*.

2. *Cercopithecorum*. Qui simiae

sunt caudatae : epigr. cccii infra. Penula utebantur Romani quum plueret. Erat autem bardocucullus multo brevior : lib. I, epigr. xciii, 8, « Dimidiasque nates Gallica palla tegit ». Unde confert illum tunicae, qua amiciuntur simiae.

CXXIX.

CANUSINÆ RUFÆ.*

ROMA magis fuscis vestitur, Gallia rufis;
Et placet hic pueris militibusque color.

* Modo epigram. cxxvii, *fuscae*.

1. *Roma magis*, etc. Quidam hoc intelligunt partim de tunicis russis Canusinis, quæ servis et militibus in usu fuerunt, partim de penulis; quum nullo pacto de tunicis Martialis loquatur, sed tantum de penulis rufis, ut titulus indicat; quum præterea discrimen fuerit inter colorem rufum et fuscum. *Ferr.*—Sensus distichi est : Viri Romani utuntur vestibus fuscis coloris; Galli rufis e lana Canusina : et tamen pueri nostri gaudent rufo hoc colore, ut et milites, ex instituto Laconum quibus hic color in bello placebat, ne per vulnera effluens sanguis in vestibus alterius coloris incuteret

suis terrorem, hostibus adderet animum. Intellige tunicas russas Canusinas, quæ servis et militibus in usu fuere : vel certe penulas russas. Hinc penulati servi, etc. *Tunica russæ*, sunt φοινικῶν χιτῶνες. Plutarchus illas φοινικῶς ὑποδύτας dicit. Isidorus *russatas* vocat : « Russata, inquit, quam Græci phœniceam vocant, nos coccinam, reperta est a Lacedæmoniis ad celandum coloris similitudine sanguinem, quoties quis in acie vulneraretur, ne contemplanti adversario animus augeretur. » Romana ergo plebs fuscis penulis vel lacernis ibat induta vulgo : milites vero et famuli lautiores, russis. *Salmas.*

CXXX.

PENULA SCORTEA.*

INGREDIARE viam cælo licet usque sereno;
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Ἐὶ καὶ ὁδοιποροῦντες περὶ ἐν εὐδίῳ, οὐκ ἐπιλείπει
Σκυτίνη εἰς ὄμβρους μανδύη αἰφνιδίους.

* Penula erat pallii genus, magnum, villosum, splendidumque, paud divites præcipue et molles viros usitatum. Vid. lib. II, epig. LVII, 2, sqq. ubi elegantiae opulentiaque affectatorem pingens, ait: « Amethystinatus media qui secat septa, Quem non lacernis Publicus meus vincit, Non ipse Codrus Alpha penulatum; Quem grex togatus sequitur, et capillatus, etc. » Porro multiplex fuit genus penularum non duntaxat quoad formam, coloremve, latitudinemve et alia id genus, sed quoad usum. Nam fuere penulae vernae, aestivae, hiemales, sic ob illud appellatae quod per istas anni tempestates induebantur. Hæ vero, hiemales scilicet, quas χειμάδας Græci dixerunt, fiebant ex lana Appula miro candore, et villorum gratia commendatae, et frigoris tantum causa habitae. Hæ, quod in modum gausaparam textae

essent, gausapinae dictae. Quod testatur Martialis lib. VI, epigrammate LIX: « Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus Propter sexcentas Baccara gausapinas. » Idemque de penula gausapina, lib. XIV, epigr. CXLV: « Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est, Ut me vel media sumere messe velis. » Media ergo hieme sumebantur. Erant etiam et penulae, quibus extra urbem tantum utebantur et in itinere, et etiam intra urbem. *Salmas.*

1. *Ingrediare*, etc. Distichi totius sensus est: Etiam si rideat, egrediente te et ineunte viam, cæli aspectus, et diem candidum polliceatur, habeas tecum penulam e pellibus sive corio ad arcendas pluvias.

2. *Nunquam*. Alii *nusquam*.—*Ad subitas*. Ut subito decidentis pluviae impetum repellas.

CXXXI.

LACERNÆ COCCINEÆ.*

Si Veneto, Prasinove faves, quid coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.

* *Coccinae* malit Couradus Gesnerus, quod etiam in MS. Beverl. invenitur.

1. Pro vulg. *qui c. sumis* codex Beverl. *quid c. sumes.* — *Si Veneto.* De his factionibus dictum lib. X, epigr. XLVIII. Color Prasinus est viridis, Venetus vero cæruleus: qui ergo vestem coccineam induebat, neutri factioni favere videbatur: sic una vincente, alteri acclamare atque adeo transfuga fieri

poterat. *Cocum* frutex est fullo-nius, Græcis κόκκος βαφικὴ: frutici grana adhærent, e quibus fit color ille lanarum præcipuus; cujus copia summa in ea Hispaniæ parte, quæ *Turdetania* appellatur, ut auctor est Strabo lib. III. *Raderus.*

2. *Fiant* in marg. ed. Par. 1617. — *Ista sorte.* Hoc est, electa hac lacerna coccinea, qua utebantur Veteres ad arcendum frigus et declinandam pluviam.

CXXXII.

PILEUS.*

Si possem, totas cuperem misisse lacernas;
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Εἴθε ὀλοκλήρους σοι ἐπωμίδας ἴσχυσα πέμψαι·
Νῦν δὲ δίδωμι μόνον κρατὶ κάλυμμα τεῶ.

* *Teilleum* cod. Thuan. Forsan pro *pileum*; nam et neutrius simul et masculini generis illa vox. Ipse Noster, lib. XIV, epigramm. 1, 2: « Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem. »

1. *Totas misisse lacernas.* Vocat *totas lacernas*, quæ cum pileis sunt sive cucullis. Hinc et lacerna ac birrus pro cucullo ac caputio. Ab-

breviator Festi: *lacerna*, quod minus caputio est. Vocat autem *capitium*, capitis tegumentum. *Salmas.*

2. *Nunc tantum*, etc. Quum ad muneris, tum ad facultatis meæ tenuitatem excusandam facit tempus, Saturnalia scilicet in quibus pileata incedit Roma. Porro ex attritis lacernis pilea fieri solita tradit Brodæus lib. X. *Miscellan.* cap. 35.

CXXXIII.

LACERNÆ BÆTICÆ.

NON est lana mihi mendax, nec mutor ahenō;
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Οὐ ποτε ψευδολογοῦν ἔριον τόδ' ἐνήλλαγε χαλκῶ·
Τέρπευ Σιδονίοις, οἷς ἔβαψέ μ' ἐμή.

1. *Non est lana.* De lana Bætica dictum in lib. I, epigr. xcvi, et lib. VIII, epigr. xxviii; quæ nativo suo colore erat nobilis.

2. *Sic placeant* in edd. antiquis.—*Si placeant.* Id est: *Esto placeat* lana Tyria infecta purpura; diversa ego tamen placere quibusdam possum.

CXXXIV.

FASCIA PECTORALIS.

FASCIA, crescentes dominæ compesce papillas,
Ut sit quod capiat nostra tegatque manus.

Σφίγγε κόρης μασοῦς ὀργῶντας, ταινίη, ὥσε
Καὶ κρύπτειν αὐτῶ τὴν χέρα, καὶ χαδέειν.

1. *Luctantes* Heins. ad Ovid. Rem. Amor. vs. 338; vitio errantis memoriæ, an consulto, haud facile discernes, quum *luctantes* acutum sane et ingeniosum sensum præbeat. Nota hic quam sæpe memoriæ lapsu videatur laborare Heinsius. Laboratne ille vere, an laborantem se simulat? Id ego identidem suspicarer: voluisse nempe sæpius virum doctum interpretis parte abjecta, ad quam diligentia solum opus est, auctoris partes sibi vin-

dicare, quæ ingenii magis expectant. Al. *surgentes*. Scriv. ad Pervig. *Veneris turgentes*.—*Crescentes compesce*. Intra modum extumescentes papillæ gratiores sunt; nec enim mammosæ puellæ placent. — *Dominæ*. Hoc est, amicæ. Jam supra notavimus *dominos* anasios, *dominas* amicas appellari; quod nos imitatur Gallica lingua amicam vocantes *maitresse*.

2. *Faciat pro capiat* in marg. ed. Paris. 1617.

CXXXV.

COENATORIA.*

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota;
Hic opus est pictis accubuisse toris.

* *Cœnatoria*. Supple aut *vestis*, aut *pallia*. Neutro genere tamen potius eadem vox usurpata esse videtur, ut lib. X, epigr. LXXXVII, 12: «Cœnatoria mittat advocato». Quamquam vero passim occurrat *cœnatoria* in feminino; cujus rei unum duntaxat exemplum proferemus, Capitolini nempe, qui in vita Maximini: «Quum in cœnam ab Alexandro esset vocatus, in patris ho-

norem, quod deesset ipsi vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.»

1. *Nec fora sunt*. Veste enim cœnatoria domi tantum utebantur Romani. *Vadimonium* est sponsio quædam sistendi se judicio ad diem præstitutam.

2. *Hic opus*. Legunt alii *Hoc opus*. — *Hic opus est*. Hoc est, Inservimus tantum convivis, qui lectis pictis accumbunt.

CXXXVI.

LÆNA.*

TEMPORE brumali non multum levia prosunt;
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

Τὰ ψιλὰ χειμεριναῖς ὥραις οὐ χρήσιμα· μαλλοῖς
Ἡμετέροισι τεὸν θέρμεται ἱμάτιον.

* *Læna* in edd. vett. Male, ut lectione epigrammatis patet.

— *Læna*. Vestis nempe, quæ palliis superinduebatur hieme, de qua lib. XII, epigr. XXXVI, 2: «Algentemque togam, brevemque lænam.»

1. *Tænia* cod. Beverl. alii *linea*. — *Levia*. «Qualia sunt serica, hombycina, linea.» *Farnabius*.

2. *Nostra* in marg. ed. Par. 1617. Pro *mei* in cod. Beverl. *semet*. — *Calfaciunt villi pallia*. Algentia nimirum (ut togis, epigr. supr. citato jam dixit); ergo et ipsius corporis calorem fovent. *Bayfius*: Nec hoc loco omiserim Galliarum incolas olim solitos sagis villosis uti, quas lænas appellabant.

CXXXVII.

LACERNÆ ALBÆ.*

AMPHITHEATRALES nos commendamur ad usus,
Quum tegit algentes nostra lacerna togas.

Ὠφέλιμοι φέρομεν πολὺν αἶνον ἐν ἀμφιθεάτρῳ
Ἢδ' ὅτε τηβέννοις ἐστὶ κάλυμμα χλαμύς.

* *Lacernæ albeticae* cod. Thuan. Lacerna, una ex usitatissimis tunc apud Romanos vestibus, breve palliolum fuit, quod togis vel sago militari injiciebatur. Videntur autem antiqui ad lacernarum colorem maxime attendisse. Amethystinæ, coccinæ (lib. XIV, epigr. cxxxii), purpureæque lautos viros et molles indicabant. Illis autem quæ splendidæ minus, v. g. fuscæ, leucophææ, vel rufæ, vel demum nigræ erant, philosophi vulgo, et sapientiæ vel severitatis laudem venantes induebantur. Unde lib. I, epigr. xcvi, 4, Martialis de quodam austerum sese fingente, ironice, « Amator ille tristium lacernarum ». Albus vero color, quem hic lacernis suis Noster attribuit, videtur præcipue in usu ad ludos spectandos tunc fuisse. Quod docebit te, ut alia bene multa præteream, ipse Noster lib. IV, epigramm. ii, 4 : « Quum plebs, et minor ordo, maximusque Sancto cum duce candidus sederet. »

1. *Amphitheatrali* Beverlandi MS. *Ab usu* idem. — *Amphitheatrales*. Hanc si terminationem admiseris, sensus erit : « Nos libentissime cives

induunt, quum in amphitheatra et circum properant, Cæsareos ludos spectaturi. » At si rescripseris in ablativo casu *amphitheatrali ab usu*, tunc in nativo sensu accipi debet *commendamur*, quasi dicerent lacernæ : « Continuo quidem et omni tempore nos utiles sumus et laudamur, at laudamur impensius, quum nostra ope plebs utitur quæ amphitheatrum cingit et ludos spectatur. Lib. IV, epigr. ii, 1 : « Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis. »

2. *Algentes togas*. Pro gelidas, frigidas, quæ neque a vento defendunt, neque arcent penetrabile frigus. Illam autem ἐπίθετον vocem adjecit togæ ipsi, quam togatulo misero justius multo foret adjicere, per κατάχρησιν : Non enim toga alget, sed togatus. Cæterum placuisse Nostro illam vocem facile judices; namque eam in lib. XII, epigr. xxxvi, 1 seq., jam inseruit : « Libras quatuor, aut duas amico, Argentemque togam, brevemque lænam. » Cæterum *alba lacerna* exh. ed. Barb. cum Schrev. et Maitt. *alba lacerna comas* cod. Bev. perperam.

CXXXVIII.

GAUSAPA VILLOSA, VEL MANTILE.*

NOBILIUS villosa tegant tibi lintea citrum;
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Ἀγλαόεις ὄδε κίτρος ἔχει γ' ἐπὶ πολλὰ τριχώδεις
Σίνδονας· ἡμετέροις κύκλος ἔνεστι κύκλοις.

* *Mantele* cod. Thuan. *Gausapa villosa, vel mantele* ed. Schrev.

— *Mantela* est tela, vel linteum quo manus exterguntur. Postea generis enallage, et *mantelum* dictum est, et *mantele*: sic hæc *gausapa*, qui Græcis ὁ γαυσάπης, et hoc *gausapum*, et hoc *gausape*. Sic accipienda sunt mantelia apud Virg. IV, 377: «...tonsisque ferunt mantelia villis.» Villosa ergo erant illa mantelia. Plin. lib. VII, cap. 11. Veteres ergo mantelia ante pectora ponere cœnantes consueverant, ut hodie solemus illa lintea, quæ *serviettes* nobis dicuntur, quibus manus et labra tergamus. Verum jam ætate Plinii mantelia non amplius in usu erant ἀντὶ χειρμάκτρων, sed integendis mensis serviebant, præcipue si pretiosiores illæ essent, ut nempe puræ et absque labe servarentur pulcherrima ligna, e quibus istæ conflari solebant. Atque hoc tunc temporis discrimen statuebatur inter mappas et mantelia. Vide lib. XII, epigr. xxix, 11: «Attulerat mappam nemo, etc.» *Salmas.*

1. *Tegunt* in marg. ed. Langii. — *Nobilius*. Hoc distichum sic explicat Turnebus lib. IX, cap. 24. Mantilibus, inquit, tibi villosis et

gausapa opus est, ut nobilis tua citrea mensa vindicetur ab inquinamento maculæ: mea vilis mensa, quæ maculam non reformidat, et in qua potest esse circulus, rotundaque labes, quam repositoria et paropsides sæpe faciunt, nihil indiget vindice mantili. Cæterum nescimus, an in lemm. *gausapa villosa* femin. gen. singul. num. sit, an neutrum quoad genus, et plurale quoad numerum. Certe crederes sing. ergo fem. quum *mantile* sit sing. At in lemmate epigr. clii infra *gausapa* neutr. invenitur.

2. *Orbibus in nostris*. Mensis rotundis. — *Circulus esse potest*. Quid hic circulus designat? num maculam rotundam quæ impressa adhæret mensæ ex lance, repositoio, seu paropside, vel, quod his proximum est, et suspicatus Scaliger primus protulit, e lagena aliquantulum madida? numve orbiculos e ligno vili factos super quos ponerentur et paropsides et lagenæ? Nam hic usus invalescebat, ipsius Scaligeri testimonio, apud caupones, et hinc quis dubitet latius mox pervagatum? Hunc ego sensum præterlerim. Et sic jocus est circa voces fere συνώνυμους *orbis* et *circulus*. ED.

CXXXIX.

CUCULLI LIBURNICI.*

JUNGERE nescisti nobis, o stulte, lacernas;
Indueras albas; exue callainas.

Ἄμμι γε φαινολίδων ἄς δεῖ οὐ ζεύγεμεν οἴσθα·
Ἀργυρέας ἐνέδυσ, ἔκδυθι κυανέας.

* *Cuculli Fiburnici* cod. Thuan.

— Est Illyridis regio Liburnia. Lazius *Crabaten* et *Krain*, Pinetus *Contado di Zara* indigitat. Huic suffragatur Vegetius, qui dicit Liburniam Dalmatiæ partem esse. *Ortelius*. — Immerito Vegetii sententiam totam hic interpretes adoptavit. Neque enim Dalmatiæ pars re vera, neque Illyridis Liburnia existimanda est: at errori illi quæ sit causa facile indicatu est. Illyricum est pars magna Europæ meridionalis inter Adriaticum mare, Epirum, Istri accolæ gentes et Macedoniam sita; Illyris vero propria ea est pars Illyrici, quæ ad meridiem vergit et Epiro proxima est. Illyrici etiam partes fuere et Dalmatia et Liburnia, Illyridis neutiquam. Tum Dalmatiam et Liburniam annis separabat, et hæc Illyridos populis prior, illa vero Istriæ peninsulæ: utraque autem in immensam patebat sine latitudine longitudinem Adriatico mari contiguam.

1. *Jungere nescisti nobis*, etc. Cucullus capitis tegmen fuit, ut et partem humerorum velaret, quales a sacris hominibus hodie gestari videmus. Ii cum lacernis sume-

bantur; vel pluviae arcendæ, quum nondum penulæ in usu intra urbem essent; vel latendi causa, ita tamen, ut separari a lacernis possent atque amoveri. Unde Mart. XIV, 137: «Si possem, totas cuperem mississe lacernas, Nunc tantum capiti munera mitto tuo.» Porro cuculli Liburnici dicti sunt, quod Liburnica lana conficerentur: de qua Plin. lib. VIII. Illos igitur non bene cum lacernis albis junctos tradit Martialis, quod colorem mox his lacernis suum ita affricarent, ut pro albis vel rutilæ, vel cæruleæ exuerentur. Vid. infra. — *Jungere*, etc. Male superinduuntur albæ lacernæ cucullis Liburnicis, qui, tincturam non probe retinentes, lacernas ex albis reddunt rutilas et coloris auri Callaici, vel ut Scriverius legit *Callainas*, id est, cæruleas, a Callai gemma, Sapphiri æmula.

2. *Calluicas* vulgg. Scriverius legit *Callainas*, quod etiam rectum censet doctus Annotator in marg. ed. Langii.—*Callaicas*. Hoc est, rutilas; nam aurifodinas habebant *Callaici*; *callainas* vero esset *cæruleas*, ut dixi, a cujusdam gemmæ colore.

CXL.

UDONES CILICII.*

NON hos lana dedit, sed olentis barba mariti;
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Τούσδ' οὐ λῆνος ἔδωκε, τράγων δὲ γένεια δυσώδη·
Κινύφιος κόλπος πέλμα δύναιτο χαδεῖν.

* *Udones*. Genus est calceamenti quo nempe primum utebantur Cilices, mox finitimi et omnes.

1. *Mariti*. Hoc est, hirci. Virgilius *Eg.* VII, 7: «Vir gregis ipse caper.» Aliquando arietis. Noster et lib. IX, epigr. I, XXI, 1 et 2: «Massyli leo fama jugi, pecorisque maritus Lanigeri.» Vid. quoque lib. VII, epigr. xcv, vs. cit. not. seq.

2. *Poterant* in marg. ed. Langii. — *Cinyphio sinu*. Hoc est, pilis hircinis. Nam hirci Cinyphii sunt dicti a Cinyphe Africae fluvio, ad quem sunt magna copia. *Domitius*. Vid. lib. VII, epigr. xcv, 13: «Tonsor Cinyphio Cilix marito.» Ubi egimus de illo fluvio, quem suspicati sunt quidam esse ipsa in Cilicia, non in Africa.

CXLI.

SYNTHESIS.*

DUM toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Τηβέννου διὰ πέντε κρυβείσης ἠριγενείας,
Εἴματ' ἐφέσσασθαι ταῦτα δίκαιος ἔοις.

* *Synthesis*. Vestis qua licebat uti per quinque legitimos Saturnaliorum dies. Vide epigr. 1 supra et lib. VII, epigr. LI, vs. 1 et 2. Illud tantum supra dictis adjiciemus aliquod discrepantiæ *Synthesim* inter

atque cœnatoriam; illa enim potius designaret quod nos speciem vocamus, hæc vero genus; ita ut generaliori semper et magis amplo sensu *cœnatoria* accipiatur, *Synthesis* vero strictiore et laxo minus.

CXLII.

FOCALE.*

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

* *Focale*. Fascia nempe lata ex lana qua obstrueret aures, ne mala carmina audiret. Focalia vero a faucibus dicta sunt, quibus hærent: quorum vulgo usus ad arcendum frigus a collo et faucibus; poetis etiam recitaturis, ne raucescerent. Mutatum autem *au* in *o* ne stupeas, neu ob id neges esse *focalia* a faucibus. Id enim jam observare fuit in nomine Sergii *Oratae* qui sic ab *Aurata* pisce appellatus est. Vid. sup. epigr. xc.

1. *Si recitaturus*, etc. Dicit semet ipse irridens poeta. Si recitavero

tibi libellum malum, moneo, ut focale (quod alioqui poetæ adhibent ad fauces et collum, ne raucescant), tu auribus admoveas, easque obstruas, ne mala carmina audias. Simili fere acumine, in lib. IV, epigr. xli: « Quid recitaturus circumdas vellera collo? Conveniunt nostris auribus illa magis. »

2. *Asserat*. Hoc est, a periculo tueatur, et impediatur quin « impune diem consumat opella Ingens. » (Sic fere Juven. sat. I, vs. 4.) — *Focelle* cod. Beverl. *asseris* idem; et *tuis asseret auriculis* Thuan.

CXLIII.

TUNICÆ PATAVINÆ.

VELLERA quum sumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Λήνεσι πυκνοῦται πολλοῖς Παταβῖνα τρίμιτα·
Καί κε παχὺ πρίων ἔσθος ἂν αὐτὸ τάμοι.

1. *Consumunt* cod. Beverl. — *Patavinæ*. Ex triplici nempe licio contextæ tunicæ tam densæ, ut non forfice, sed serra veluti asseres secarentur. Hoc autem *καπιτωῶς* et

ὑπερβολικῶς dictum patet. Cæterum hæ tunicæ trilices *πολύμιτα* apud Græcos nominabantur, et Alexandriae in Ægypto primum contextæ sunt.

CXLIV.

SPONGIA.*

HÆC tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Utilis, expresso quum levis imbre tumet.

Σπόγγον τόνδε λαχὼν ἀπομάξει τῷδε τραπέζης
Οἰδαίνοντας, ὕδωρ ἀσαγῆς ἐκπιέσας.

* *Spongia*, græce σπόγγος, una ex hæc animantium specie infima, quam plantis jam simillimam atque animi animæve vix compotem Ζωολογισταί recentiores Ἀμορφοζῶων vocare consueverunt. Ereptam e nativo mari, nullas nescit hanc perutilem esse et tergendo corpori et emaculandis mensis, muris, pavimentis. Cæterum legas suadeo de spongiis Aristotelem, Anim. lib. V, cap. 16 et Plinium lib. IX, cap.

45 et recentt. natur. historicos. Ed.

1. *Sorte datur*. Per sortem datum fuisse hoc munus dicit, me quidem iudice, quod vilius munus foret. Quanquam tamen potest duntaxat ut versiculum faceret, vocem hanc addidisse.

2. *Umbra* cod. Beverl. — *Quum levis*. Vide lib. XIII, epigr. XLVII: « Ut levis accepta spongia turget aqua. » Quod optime per unicam vocem ὑγρώσων Græci exprimebant.

CXLV.

PENULA GAUSAPINA.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Ut me vel media sumere messe velis.

Γοιαύτη χροιή, μαλλῶν χάρις ἐςὶ τοσαύτη,
Ἀσπασίως με θέρευσ ὥσε μεσοῦντος ἔλοις.

2. *Veste* cod. Beverl. — *Ut me vel media*. Hieme Romani utebantur gausapinis: lib. VI, epigr. LIX: « Et dolet, et queritur, sibi non

contingere frigus Propter sexcentas Baccara gausapinas. » At hæc penula gausapina tam nitida erat, ut vel æstate potuerit esse usui.

CXLVI.

CERVICAL. *

TINGE caput nardi folio, cervical olebit;
Perdidit unguentum quum coma, pluma tenet.

Μαλοβάθρῳ Κόσμου χρίσον τρίχα, τύλη ἂν ὄζοι·
Ὁ γνάφαλος κρατέει, θριξ ὄτ' ἀφῆκε, μύρον.

* Cervical pulvinus fuit cervici subjectus, ut cubital cubito apud Horatium lib. II, sat. II.—Ego at tamen potius crediderim, cervical id fere fuisse quod nos vocamus *serre-tête* aut *bonnet*. Vid. quæ infra notavimus ad vs. I.

1. *Tange malit de Rooy. Unge Thuan. Pinge Beverlandi MS. Ex MS. Gruterus legit Cosmi folio. Cosmi filo cod. Beverl.; quidam vero Costi. — Nardi folio. De hoc unguento dictum epigr. cx supra. Non magis difficilem sensum habes, si*

legis Cosmi; istius namque unguentarii mentionem sæpius fecimus. Quacumque autem lectione magis delecteris, distichi sententia hæc est: Si tinctum tibi Cosmiano caput fuerit, cervical maculabis; unguento enim madidi capilli imbuunt quoque pulvinum. — Sane quidem si nudum caput: sed quis credat eos nuda cervice dormivisse? Ubi autem capiti operculum aliquod sit, quomodo pulvinari maculæ adhærebunt? Crede ergo cervical esse hic un serre-tête.

CXLVII.

CUBICULARIA GAUSAPINA. *

STRAGULA purpureis lucent villosa tapetis;
Quid prodest, si te congelat uxor anus?

Στρωμναὶ πορφυρέοις εἰς' εὐτριχες ἀμφὶ τάπησιν·
Εἴ σε καταψύχει γραῦς, τίς ὄνησις ἂν ἦ;

* *Cubicularia gausapina. Villosa nempe cubiculi stragula, vel calidissima, non possunt id vincere frigus*

quo te afficit invite vetula uxor.
2. *Contegat Scriverius. Contegit marg. ed. Langii.*

CXLVIII.

LODICES.*

NUDO stragula ne toro paterent,
Junctæ nos tibi venimus sorores.

Ὡς μὴ τρώματα δεμνίων ὀρῶτο
Γυμνῶν, σύζυγέ σοι δύο πάρεσμεν.

* Unanimes et membransæ et edd. libb. in istius epigrammatis scriptura exhibenda.

1. *Nudo*. Lodibus ligna, bractæ, stragula, pulvinar, totus denique lecti apparatus contegebatur. Erant autem gemmæ in opertorium coeuntes. Est mentio lodicum apud Juvenalem sat. VI et VII. Suetonius, August. cap. 83, tradit

lodica hunc principem usum in exercitatione: « Mox nihil aliud quam vectabatur et deambulabat, ita ut extremis spatiis subsultim decurreret segestri vel lodica involutus. » Veronæ autem, in Venetorum urbe, pulcherrimæ et pretiosissimæ fiebant, ut mox videre erit epigramm. CLII, 1: « Lodices mittet docti tibi terra Catulli. »

CXLIX.

AMICTORIUM.*

MAMMOSAS metuo: teneræ me trade puellæ,
Ut possint niveo pectore lina frui.

* Et in hoc epigrammate nullam uspiam reperimus scripturarum varietatem.

— *Amictorium* linteum genus est quo sinum feminæ sibi cingebant. Ne idem ergo putes cum mamillari et strophio de quibus jam diximus: hoc puellæ stringebantur ne ultra modum crescerent mammæ; amictoriis autem tantum tegebantur. Ita ut si nostris vestibus vetera hæc conferamus, quamvis satis dissimi-

lia fuerint, aliquid mamillaria habeant magis simile his pectoris carceribus quos vocamus *corsets*, amictoria vero eadem fere videantur ac *mouchoirs* vel *fichus*.

1. *Mammosas metuo*. H. e. Non amo, fugio. Videantur quæ supra ad epigr. cxxxiv.

2. *Niveo pectore lina frui*. Subtiliter et lepide per hypallagen dictum, quum dicendum potius videretur: Ut possint niveis linis pectora frui.

CL.

CUBICULARIA POLYMITA.*

HÆC tibi Memphitis tellus dat munera : victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Μεμφίτις γαίη τάδε σοι δωρήσατο· νικᾶ
Ἡ Νείλου βελόνην τὴν Βαβυλῶνος ὑφή.

* *Cubicula polemata* Thuan. — Multis filis seu liciis contexta.

— Polymitarii stragula multis liciis texebant, quæ *polymita* inde Græcis vocabantur. Non acu operabantur Alexandrini illi polymitarii, sed pectine. Nam in tela et textoriis instrumentis artem suam exercebant, ac per hoc vere et proprie texebant. Tantum tamen eorum artificium fuit et industria, ut

majorē ferme varietate eorum opera distinguerentur, quam quæ acu Babylonica aut Phrygia picta essent. Hinc non dubitat Martialis pronuntiare, Babylonicam acum debere concedere Ægyptiaco pectini.

1. *Memphitis, Ægypt.* *Victa est pectine Niliaco.* Stragula ab Ægyptiis texta, vincunt tapetas vestesque Babylonias ac Phrygias acu pictas et olim tantopere laudatas.

CLI.

ZONA.

LONGA satis nunc sum : dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

Νῦν ἰκανῶς μὲν μακρὸν· ἀτὰρ τῆς γαστρὸς ἐς ὄγκον
Αὐξομένης, ἔσομαι ζῶμά σοι αἰψα βραχύ.

1. *Longa satis.* Cingulum puellæ datum sic loquitur. — *Dulci sed pondere.* H. e. Si gravida fiat puella, zona brevior fiet. *Dulce pondus* ergo hic est, fœtus. Si vero cum quibus-

dam zonam virilem intelligas, dulce pondus erit referendum ad gulæ et ventris sarcinas. Placet prior interpretatio suaviore sensu, dubia tamen Saturnalium tempore.

CLII.

GAUSAPE QUADRATUM.

LODICES mittet docti tibi terra Catulli;
Nos Helicaonia de regione sumus.

Στρώματα μὲν πέμψει λογίου σοὶ γαῖα Κατύλλου·
Ἡμεῖς δ' ἐσμὲν ὄρων ἐξ Ἑλικαονίων.

1. *Terra Catulli.* Verona.

2. *Lycaonia* in marg. ed. Langii; quod falsum esse patet, tum ob syllabæ primæ quantitatem, quæ brevis est, dum tamen longa hic esse deberet, tum ob sensus falsitatem. Quid enim esse dicemus Lycaoniam regionem? Aut Arcadium quam rexit olim tyrannus immanis Lycaon, qui a Jove in lupum mutatus, cujus post exitium quinquaginta filii totidem urbes, quis-

que de nomine suo, condidere et rexere; aut eam Cappadociæ partem quæ orientem et meridiem versus sita Isauriæ, Pisidiæ et Cataoniæ vicina fuit. Atqui neutram e regionibus his videmus *gausapinis* celebrem; quod tamen hic necessarium foret. ED. — *Nos Helicaonia.* Hoc est, Patavina. Vide lib. X, epigramm. xciii. *Gausape* vero stragulum erat militare crassioris filii artificiique vilioris.

CLIII.

SEMICINCTIUM.*

DET tunicam dives: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Πλούσιος εἴματα δοίη, ὑποζώσοιμι δ' ἐγὼ σε·
Εὐπορος ὧν ἂν ἔδων δῶρά σοι ἀμφότερα.

* *Semicinctium.* Gallice *tablier.*

1. *Locuples* legitur in marg. ed. Langii.

2. *Dives* in eodem. — *Essem si locuples.* Inquit Poeta, Darem tu-

nicam et semicinctium. *Tunicam* accipe pro ea quæ carni proximior, quam, ut mihi videtur, tunicam lineam, vel imam dicere possumus. *Baysius.*

CLIV.

LANÆ AMETHYSTINÆ.

EBRIA Sidoniæ quum sim de sanguine conchæ,
Non video, quare sobria lana vocer.

Σιδονίου τρυφερῷ μεμεθυσμένον αἵματι κόγχου,
Εἴριον αὐδῶμαι τίπτ' ἀμέθυσον ἐγώ;

1. *Ebria de sanguine conchæ.* Poeta hic ludente in etymologia *amethystinæ lanæ* : ἀμείθυτος sobrius dicitur (e græco a privat. et μέθυ, *merum*); est etiam gemma quæ purpureum colorem refert. Lanæ autem amethystinæ purpura tinctæ dicuntur ob suam cum lapide similitudinem : tunc vero quodammodo erant ebriæ murice? Sensus

ergo est : Quum bibam sanguinem muricis, cur vocor sobria? *Sidon* autem Palæstinæ urbs maritima, hodie *Said*, ubi magna et buccinorum et muricum copia, quorum sanguine color purpureus efficiebatur. Vid. et conf. lib. I, epigr. L, lib. IV, epigr. IV; lib. VIII, epigr. XLVIII, et præsertim lib. XIII, epigr. LXXXVII.

CLV.

LANÆ ALBÆ.

VELLERIBUS primis Apulia, Parma secundis
Nobilis : Altinum tertia laudat ovis.

Πρῶτα μὲν οἱ Καλαβροὶ ἐρίοις, μετέπειτα δὲ Πάρμη
Γνώριμος· Εὐγανέους ἢ τρίτη αἰνεῖ οἷς·

1. *Velleribus.* Lanæ albæ primas tenet Apulia; secundas Parma, urbs nota ad Padum; tertias Altinum, quod est Venetiæ mediterranea urbs, quam Villanovanus *Torcello* dici ait, nomen *Altino* retinere putarim. Nota autem hic

primis, pro, excellentissimis, omnium optimis, ac *secundis* pro omnium uno excepto præstantissimis etc. item gallice *premier* et *second*.

2. *Laudat.* Pro laudandum demonstrat, jubet laudari, elegantis amatoribus commendat.

CLVI.

LANÆ TYRIÆ.

Nos Lacedæmoniaë pastor donavit amicaë;
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Ἡμᾶς δῶρα φίλῃ ποιμὴν ἐπέδωκε Λακκαίνῃ·
Πορφύρη ἦν Λήδας μητρὸς ἀτιμοτέρῃ.

1. *Lacedæmoniaë amicaë*. Hoc est, Helenæ nempe, quæ Lacedæmonii regis Tyndari filia erat, fratresque Castorem et Pollucem habuit. — *Pastor*. Vox poetis usitata immo et dilecta, ut raptorem Helenæ Paris designent; namque in Ida monte expositus Paris pastor diutissime fuerat. Hinc Theocrit. in famoso Idyll. Oaristyi, vs. 1: Τὴν πιυτὰν Ἑλέναν πότ' ἀφήρπασε βώκολος ἄλλος... et Horat. lib. I, Od. xv, vs. 1 et 2: «Pastor quum traheret per freta navibus Idæis Helenam

perfidus hospitam.» — *Nos donavit*. Videtur enim magnificentia Asiatica et splendidis muneribus sibi Helenam conciliasse Paris, non minus quam pulchritudine sua. Horatius lib. IV, Od. ix, vs. 13, 14 sq. «Comptos arsit adulteri Crines et aurum vestibus illitum Mirata, regalesque cultus, Et comites Helene Lacæna.»

2. *Deterior Ledæ*. Quæ nempe purpura Laconica erat induta, qua nobilior est Tyria: Leda autem fuit mater Helenæ; itaque Laconica purpura magis usa est, quam Tyria.

CLVII.

LANÆ POLLENTINÆ.*

NON tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet et calices hæc dare terra suos.

Εἶρια οὐ μούνον φαιῆ πενθήρεα λάχνη,
Ἄλλ' ἰδίους κύλικας γαῖα καὶ ἦδε φέρει.

* *Pollinaë* cod. Thuan.

— *Lanæ Pollentinaë (Polentinaë)*;
Aliique *Pollinaë*. Liguriæ urbs Po-

lentina apud Tanarum fluvium, hodie *Polenzo*. Et Sil. VIII, 597: «Vercellæ, fuscique ferax Pollentia villi.»

CLVIII.

IDEM.

LANA quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.

Ἀῆνος μὲν συγνὸν δούλοις δὲ καρεῖσιν ἀρηρὸς,
Οἴους οὐ πρώτους οἶδε τράπεζα καλεῖν.

1. *Pro apta* in cod. Thuan. *neca.* *neta* legend. censet Beverl. — *Tristis.* Hoc est, fusca. Vidend. epigr præcedens.—*Sed tonsis.* H. e. servis vilioribus, non vero pueris venustis

et comam alentibus, qualis erat Cestus, de quo Noster lib. VIII, ep. LI, 19. «Ceste, decus mensæ.»

2. *Vocat.* Pro hoc *vetat* legitur in marg. ed. Paris. 1617.

CLIX.

TOMENTUM LEUCONICUM.*

OPPRESSÆ nimium vicina est fascia plumæ?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

* *Tomentum Lingonicum* in edd. vett. *Lumentum Leuconicon* codex Thuan. *Tomentum Levonicum* edit. Farnab.

1. *Oppressæ.* De fascia lecti jam diximus lib. V, epigramm. LXII, ob quam lana nimium oppressa facile cedit, ita ut jacenti incommodum ferat.

2. *Lingonicis* alii: libri tamen Martialis, inquit Salmas. omnibus locis scriptum *Leuconicis*, non *Lingonicis* habent; at *Levonicis* Farnab. *Leuconiis* Salmas. ad Solin. p. 398.

— *Vellera Leuconicis.* Sic fere Raderus: Jam vidimus, lib. XI, ep. LVI, 9. «Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis.» Leuconium vero Æolidis oppidum videtur apud Thucydidem. Sensus est: Accipe tomentum quod lana pannis vestibusque abrasa dicitur. Sed malim retinere Lingonicum, quam Leuconicum, quod Gallicanæ vestes, ut supra vidimus, in Urbem sunt importatæ. Lib. I, epigr. LIV, vs. 5: «Urbica Lingonicus Tyriantina bardocucuilus.»

CLX.

TOMENTUM CIRCENSE.

TOMENTUM *concosa palus* Circense vocatur;
Hæc pro *Leuconico* stramina pauper emit.

1. *Concosa palus*. Intelligit arundinis panniculas, quas pauperes pro tomento culcitrarum emebant. Circense autem tomentum hoc vocabatur, quod fortasse initio Circensibus spectaculis sibi substernere solerent. Quam misellum id, et paupertatis proprium indicat Seneca de Vita beata, cap. 25, ubi: « Super Circense tomentum, per sarturas veteris linteï influens incubabo. » De Circensi tomento Strabo lib. V, quum hæc ait: Τύφη τε καὶ πάπυρος, ἀνθήλη δὲ πολλὴ κατακομί-

ζεται ποτάμεις εἰς τὴν Ῥώμην · nam ἀνθήλην πολλὴν vocat multam paniculorum lanuginem. Turneb. lib. IX, cap. 24.—*Palus*. Palea, vel in paludibus crescens arundo.

2. *Leuconico*. Eadem huc referenda quæ in præcedentis epigrammatis posteriorem versiculum. *Lingonico* edd. vett. *Leuconico stramine* Beverl. MS. *Leuconico* Farnab. et erit cod. Beverl.—*Pro Leuconico*. Sensus est: *Leuconico* tomento farcire sibi culcitas divitum est, pauperum vero palea et stramine.

CLXI.

P L U M A.

LASSUS Amyclæa poteris requiescere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

Γυῖ' ἐν Ἀμυκλαίῳ κοπιῶν ἀνάπαυε γναφάλλῳ,
Ἐνδότερος κύκνου τόν σοι ἔδωκε χνόος.

1. *Lassus Amyclæa*. Hoc est, cyanea. Amyclæi enim cycni dicti sunt, seu Lacones, ob Ledam Laconiam quam sub cycni forma compressit Jupiter. Amyclæ Laconiae urbs Lacedæmoni proxima. Vide lib. VIII, epigr. xviii.

2. *Interior lana*. Tenerrimam plumam, vel lanuginem intellige quam

nos quidem non jam appellamus *plume*, sed *duvet*. Tenella enim et mollis illa pluma inprimis est, quæ inter pennas extimas et pellem invenitur, et *lana* haud immerito a Poeta appellatur. Et illa solummodo in Orcadam anatibus celeberrimis maximi hodie æstimatur, et nomen habet *édredon*. Ed.

CLXII.

F O E N U M .

FRAUDATA tumeat fragilis tibi culcita mula;
Non venit ad duros pallida cura toros.

Ὀλλυμένου σχεδίη τρωμνή γναφάλοιο σεσάχθω.
Οὐκ ἐς σκληρὰ μολεῖν οἶδε μέριμνα λέχη.

1. *Fragilis et mula* cod. Beverl. *Culcitra* exhibet ed. Colin. et Par. 1617. *Cultira* Junt. Vid. Salmas. ad Solin. p. 598 et D. Heins. ad Claudian. pag. 1667, nostræ edit. *Pluma* ed. Par. 1617. *Facilis pluma* Ald. Junt. Colin. Farnab. Maitt. Barb. et nos hanc accipimus ambabus manibus scripturam pervertustæ membranæ Thuanæ. Nam omnes aliæ fere sine sensu. — *Mula fraudata*, id est, sceno, quod mulæ a mulionibus subtractum est, quod alioqui mula esse debuisset, *tumeat*, fartus sit, *tibi torus fragilis*; qui statim frangitur et subsidit. *Fraudata*, ut apud Hor. S. I, VI, 123: « ungor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis ». Et sic sumitur *subducta* lib. XIII, epigr. xxxvi: « Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis ». Hac sententia porro Noster gaudet, quum libr. XIII, epigr. xi de hordeo jam dixerit: « Mulio, quod non des taciturnis accipe mulis. » *Fragilis* quoque (quod confirmant Gruteri co-

dex et Arond.) non est ineptissimum ut visum Scriverio, sed aptissimum, vel propter τὸ *frangere toros*. Vid. Observ. IV, 22. Sic fere Gronovius.

2. *Non venit*. Ubi *De Rooy* conjicit *Non facit*. — *Non venit ad duros*, etc. H. e. Non opus ut sopori blando indulgeas pluma mollissima, sed mentis tranquillitate. Sæpius enim dormientibus in cubili duro voluptatis et felicitatis plus est, quam subiuvendi thalami aulæis purpureis, somnum frustra captantibus. « Somnus agrestium Lenis virorum non humiles toros Fastidit. » Sic fere Horat. lib. III, Od. 1, 21, qui pro *toros* habet *casus* in textu; « Nec gazæ, neque consularis Submovet lictor miseros tumultus Mentis, et Curas laqueata circum Tecta volantes. » (Idem lib. II, Od. xvi, vs. 9, et sqq.) Et similiter, in Gallicæ cantilenæ strophe quadam:

Le génie est dans un coin,
L'innocence est sur la paille,
Le plaisir est sur le foin.

CLXIII.

TINTINNABULUM.

REDDE pilam; sonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Ἡ λίπε σφαιρίδιον (κώδων βαλανευτικὸς ἤχει).
Ἡέ σὺ λουσάμενος παρθένῳ οἶκον ἴθι.

1. *Æs thermarum.* Campana, quæ ab exercitiis avocabat ad balnea: quæ certo etiam tempore clauderantur. Galenus notat priscos secundum pilæ ludum calidis balneis lavari consuevisse, ad quas tintinnabulo signum dabatur: quas si quis neglexisset, aqua Martia vel Virgine lavabat; nam postea balneæ publicæ clausæ erant. Capitolinus prodit ante Alexandri Severi tempora, nunquam thermas ante auroram apertas fuisse, et semper ante solis occasum claudi consuesse. Hadrian. Junius lib. III Animadvers. cap. 11:

ὁ κώδων ἤχει, etc. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῶ ἐνυόντων. Negant tamen quidam æs esse periphrasim tintinnabuli, et volunt in thermis clypeum æreum fuisse, qui catena pendeat ex orbiculari fenestra fornicis laconici.

— *Ludere pergis.* Sic thermæ erunt clausæ, atque ita aqua frigida seu aqua virgine lavare cogaris. Vide lib. VI, epigr. XLII, 18: «Cruda Virgine Martiaque mergi.»

2. *Virgine vis.* «Præfero per interrogationem, *Virg. vis... domum.*» Ant. *De Rooy.*

CLXIV.

DISCUS.

SPLENDIDA quum volitent Spartani pondera disci,
Este procul, pueri: sit semel ille nocens.

Δίσκου Ἀμυκλαίοιο δι' ἡέρα ριπτομένοιο,
(Εἶη ἅπαξ ἔνοχος) τηλόθι σοῦσθε, κόρου.

1. *Splendida.* Discus enim ex ære vel ferro fiebat, quo maxime se exercebant Lacedæmonii.

2. *Sit semel ille.* Discus nempe quo occisus est a Phœbo puer Hyacinthus. Vide infra epigr. CLXXII.

CLXV.

CITHARA.

REDDIDIT Eurydicen vati : sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Τάνδρι μὲν Εὐρυδίχην ἀπέδωκεν· ἀπώλεσε δ' αὐτὸς
Αὐτῷ ἀπισήσας, ἐκμανέως τ' ἐρόων.

1. *Reddidit Eurydicen.* Pro priore verbo Gronov. legit *prodidit*.—*Vati.* Orpheo nempe, qui cithara ludens exoraverat Plutonem, et Eurydicen suam uxorem ab inferis reducebat, sed ea lege, ne illam respiceret nisi quum in apertas lucis

auras evasisset. Cæterum fabula vel pueris notissima e Virgilio est.

2. *Nec patienter.* Dum enim illam perditte amat, ne deficeret metuens, avidusque videndi, • Flexit amans oculos : et protinus illa relapsa est. • Ovidius, *Met. X*, 57.

CLXVI.

IDEM.

DE Pompeiano sæpe est ejecta theatro,
Quæ duxit silvas, detinuitque feras.

Πολλάκις ἐκβλήθη τοῦ Πομπείου θεάτρου
Ἡ ἀγαγοῦσ' ἄλση, θῆρας ἐφελξαμένη.

1. *Electa* Ald. Junt. Colin. — *Ejecta.* Quæ lectio melior videtur : nam citharædi subinde lapidibus excipiebantur, si non placuissent. Porro in theatro Pompeii exhibitus est Orpheus, qui cithara ludens feras et silvas trahebat. Vide lib. *Sp. epigr.* XXI. — Non ad illud tunc respexisse Martialem, sed ad

veterem illam historiam potius, qua narrantur • Thressæ sub Rhodopes jugis (*Senec. Trag. Hercul. OEtæus. Act. III, in Choro*), Vocalem temere insecutæ Orpheæ silvæ, Arte materna rapidos morantem Flaminum lapsus... Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. • (*Hor. lib. I, Od. XII.*)

CLXVII.

PLECTRA.

FERVIDA ne trito tibi pollice pustula surgat;
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Θλιβομένων λιχάνων ἵνα μή σοι φλυκτῖς ὀρώρη,
Λιγέα κάλλυντρον πλῆκτρα γένοιτο λύρη.

1. *Pusula* Delph. in textu, sed *pustula* in Interpr. Hoc habent edd. Par. 1617. Schrevel. Maitt. Barb. Dant vero *pulsula* Ald. Junt. Colin. « V. *pustula*, quæ et *pusula*. Vid. Junii Nomencl. *Pulsula* legit Domitius. » Marg. edit. Paris. 1617. Domitius Calderinus notat alios codd. habere id *pulsula*. — *Fervida ne trito*.

Qui enim nudis digitis, et absque plectri ope citharam pulsare solet, sæpenumero digitum oblædit, qui intumescit, et dolet, et pustula, ut aiunt, tunc laborat. Turnebus, lib. IX, cap. 24.

2. *Exornent*. ed. Barb. et sic alios legere notat editor Delph. *Exornet* MS. Beverl. qui habet *candida pl*.

CLXVIII.

TROCHUS.*

INDUCENDA rota est : das nobis utile munus.
Ista trochus pueris, at mihi canthus erit.

* *Trochus*. Sic a Turnebo explicatur, lib. XXVII, epigr. xxxiii : *Erat autem genus ludi Græcanici, ut nomine ipsi indicatur ; rota enim erat ansam habens, ut facilius mitteretur ; axiculis compacta transversis jaciebatur : quorum claviculæ et commissuræ aduncæ, dum versabatur missa rota, vel missus orbis, tinniebant et crepabant. Unus autem erat ex ludis Romæ usitatissimis. Horat. lib. III, Od.*

xxiv, vs. 56, 57, « ludere doctior Seu Græco jubeas trocho » ; et Ovid. de Art. Am. III, 383 : « Sint illis celeresque pilæ, jaculumque, trochisque. » Mittere autem scienter, artis erat non vulgaris.

1. *Du* MS. Beverl.

2. *Canthus*. Quidam non bene *cantus*, per hoc intelligentes fragorem, strepitum, tinnitus trochi missi. Alii, ut nos *canthus*, ferrum nempe, quo circum rota munitur.

CLXIX.

IDEM.

GARRULUS in laxo cur annulus orbe vagatur,
Cedat ut argutis obvia turba trochis?

Τίπτε κρίκος κύκλω φορέων περιρέμβεται; ἄρα
Ὡς τε τροχοῖς εἶκειν ὄχλον ἐπερχόμενον;

1. *Carrus* pro *Garr.* cod. Thuan. sumus in superiore epigrammate,
2. *Turma* Vat. — *Cedat ut ar-* monebantur pedarii transeuntes, ut
gutis. Tinnitu enim, de quo locuti sibi caverent.

CLXX.

SIGNUM VICTORIÆ.*

HÆC illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit : decies adde Falerna, puer.

Ἦδ' αὐτῷ κλήρου ἄτερ ἦλθ', ᾧ Ῥήνος ἀληθές
Οὔνομ' ἔδω· δεκάκις, κῶρέ, μοι οἰνοχόει.

**S. aureum* cod. Thuan. *S. Victor.*
I. e. signum Victoris, ut ex antiquis nummis intelligo, erat alatae feminae statua, dextra laurum tenentis, sinistra palmam; quae quidem in omnibus fere signis Victoris spectantur. Caeterum, sicut varia sunt genera victoriarum, ita varios quoque in modos eadem est effigiata, nunc bigis vehens, nunc navi insistens, nunc Caesarem coronans, nunc aliis aliisque modis figurata. *Raderus.*

1. *Hoc* alios legere notat Schrevel. — *Hæc* Victoria scilicet aurea.

— *Sine sorte.* Etenim casu et sorte non datur signum Victoris Domitiano, qui toties vicisset hostem. Vide epigr. 1, ubi de alternis muneris sortibus. — *Rhenus.* Pro Germania; sic Nilus pro Ægypto, pro Romanorum civitate Tiberis.

2. *Vera.* Non adulatoria, merito data. Quod quam falsum supra admonuimus. — *Decies adde.* Tot enim cyathi sunt hauriendi, quot *Germanicus* habet literas, nimirum decem. De illo more bibendi quoque dictum ad lib. I, ep. LXXII. — *Adde.* Pro *da.* Vid. supra, lib. IX, xciv.

CLXXI.

ΒΡΟΥΤΟΥ ΠΑΙΔΙΟΝ.*

GLORIA tam parvi non est obscura sigilli;
Istius pueri Brutus amator erat.

Δείκελον, ὃ, ῥῥ' ὀράας, οὐκ ἀκλεῆς ἔπλετο, καί περ
Τοσσίχον ὄν· τούτου Βροῦτος ἐράτο κόρου.

* *Beotoniculopedion* Thuan. cod. *Lege* Βρούτου καλοπαιδίον. Sic Bruti pusionem vocat. Vid. J. Voss. ad Catull. p. 229. » *Beverl.*

2. *Istius pueri.* De quo jam dixi-

mus lib. IX, epigr. LI. Plinius lib. XXXIV, cap. 8. Item fecit Apollodorus puerum, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustrissimum fecit.

CLXXII.

SAUROCTONOS CORINTHIUS.*

AD te reptanti, puer insidiose, lacertæ
Parce : cupit digitis illa perire tuis.

Φείδεο τῆς σαύρης ἐρπούσης πρὸς σέ, δολόφρων
Κοῦρε, χεροῖν θανέειν σῶν ὑπο γλιχομένης.

* *Sauroclonos coriuntius* Thuan. cod. *Sauroctones C.* ed. Schrevel.

— *Sauroctonos.* Α κτείνω *occido*, et σαῦρος *lacerta* : hoc est, lacertam occidens. Nimirum intellige sigillum ex ære Coriuthio factum. Plin. XXXIV, c. 8 : « Fecit (Praxiteles) et puberem Apollinem subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant. »

2. *Cupit.* Ut nobili fato pereat. — Crediderim potius voluisse Nostrum pueri excellentissimam venustatem celebrare, et ob id dicere : Ipsa te amat lacerta, et quidem ita amat, o venuste puer, ut ne perire quidem recuset, modo non ante pereat, quam digitis tuis pertractata fuerit. Ergo ponito arcum, et lacertam manu prendito.

CLXXIII.

HYACINTHUS IN TABULA PICTUS.

FLECTIT ab invisio morientia lumina disco
 OEbalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

Δίσκου ἀπ' ἐχθοδουποῦ θνήσκοντας ἀποσρέφει ὄσους
 Οἰβάλιος, Φοίβου πένθος ἔρωσ τε, κόρος.

1. *Flectite* cod. Thuan. — *Flectit*, etc. Hyacinthi meminit Plinius lib. XXXV, cap. 11: «Hyacinthus (opus Nicisæ Atheniensis) quem Cæsar Augustus delectatus eo, secum deportavit Alexandria capta, et ob id Tiberius Cæsar in templo ejus dicavit hanc tabulam.» Ovidius *Metam.* lib. X, 195 et seq. «Laberis, OEbalide, prima fraude juvena; Phœbus ait, videoque tuum, mea crimina, vulnus.»

2. *OEbalius*. Amyclas fuit pater Hyacinthi, conditor Amyclarum, quæ urbs fuit Laconis celeberrima, Lacedæmoni proxima; ubi pueri tumulus sub Apollinis signo. Ex Cynorta fratre Hyacinthi natus OEbalius, qui regnavit Amyclis; a quo forte regio, aut urbs OEbalia dicta, unde et Hyacinthus OEbalius. Vide Pausan. in *Laconicis*, initio lib. III. Cæterum omnes fere Laconia oriundi heroes sic dicti.

CLXXIV.

HERMAPHRODITUS MARMOREUS.

MASCULUS intravit fontes : emersit utrumque.
 Pars est una patris; cætera matris habet.

Ἄρρην εἰσῆλθε κρήνην· ἐξῆλθε τὸ δισσόν.
 Ἐν μέρους ἐστὶ πατρὸς, θάτερα μητρὸς ἔχει.

1. *Intravit fontes*. Quibus nempe Salmacis Nympha præsidebat. Ovidius *Metam.* lib. IV, copiose et eleganter hanc fabulam describit.

2. *Patris*. Mercurii nempe (Ἑρμῶ). — *Matris*, scilicet Veneris (Ἄφροδίτης). Unde ei nomen datum fuit Hermaphroditus, vel Hermaphroditus.

CLXXV.

DANAÆ PICTA.

CUR a te pretium Danae, regnator Olympi,
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

1. *Servatæ* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Cur a te.* Jupiter in aurum conversus corrumpit Danaen

Acrisii; Ledam vero factus cycnus, et ideo *gratis* absque dubio.

2. *Sed* cod. ed. Langii. 1617.

CLXXVI.

PERSONA GERMANICA.

SUM figuli lusus rufi persona Batavi.
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Πλάστου παῖγμα πρόσωπον ἐγὼ Ρούσιο Βαταίου
Εἰμὶ γέλωσ μὲν σοι, παιδαρίοις δὲ φόβος.

1. *Russi* cod. Beverlandi, qui sic notat: « Josephus, XIX Antiq. de Batavis Germanorum flore et satellitibus Cæii. Homines robusti corporis, hostium impetus excipere soliti, sed natura iracundi, quod plerumque, quid fiant, non intelligant. Per iram itaque sontes juxta atque insontes trucidarunt interfectores Cæsar. Sil. III, 608: « Jam puer auricomus præformidate Batavo. » Quia itaque erant homines quadrati et formidabiles, innocentes, vafritiei expertes, ideo tales pro corporis satellitibus habere Principes. Lucanus *truces* vocat. Mar-

tial. VI, LXXXII dicit, omnes ejus laudare epigrammata præterquam *aures Batavas*, id est, præter homines quadratos, vafritiei expertes, et qui epigrammatum linguam et acumen exprobrationis sentire vix possunt, ob candorem et ingenuam rusticitatem; feros et immanes nautas *vastis moribus*. « Habent *rusi* edd. vett. — *Rufi*. Batavi, ut alii Germani, capillos rufabant, ut supra epigr. xxvi.

2. *Hæc timet ora puer*. Larvati Batavi sunt terrori pueris. Alii, præsertim antiq. libb. *ora pater*; minus bene, ut patet.

CLXXVII.

HERCULES CORINTHIUS.*

ELIDIT geminos infans, nec respicit angues.
Jam poterat teneras hydra timere manus.

Θλίβει ὄφεις διδύμους, οὔτ' εἰσιδε νήπιος ἤδη
Καὶ παιδνάς Ἰδρη δείδιεν ἄν παλάμας.

* *Herc. Cor.* In exhibendo hoc epigrammate neutiquam dissentiunt manu scripti codd. aut libri.

— *Hercules Corinthius.* Hoc est, Herculis statua ex ære Corinthio facta, quemadmodum infans serpentes eliserat. Cæterum de Hercule picto, qui unum e Zeuxidis præclarissimis operibus fuit, non de æreo siguo hic Martiali laudato,

Plinius lib. XXXV, cap. 9 : « Magnificus est Jupiter ejus in throno, adstantibus diis : et Hercules infans dracones strangulans, Alcmena matre coram pavente et Amphitryone. » Vide Theocritum Idyll. cui titulus Ἡράκλισκος, hoc est, infans Hercules, et cujus illud initium est : Ἡρακλία δεκάμηνον ἰόντα περ' ἅ Μιδεῖαις Ἀλκμήνα.

CLXXVIII.

HERCULES FICTILIS.*

SUM fragilis : sed tu, moneo, ne sperne sigillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Ἰήϊνός εἰμι· σὺ δ' οὐκ ἀθετεῖν βραχὺ δείκελον· οὐ γὰρ
Αἶδεταί Ἀλκείδης εὐνομα τοῦμόν ἔχων.

* Neque hic variatur ullo modo sive in membranis, sive in excusis libris. — *Hercules fictilis.* Plin. Hist. Nat. lib. XXXV, cap. 12 : *Ab hoc eodem, Turanio nempe, factum Herculem, fictilem supple, qui hodieque*

materiæ nomen in urbe retinet. Dicebatur enim Hercules fictilis. Plin. XXXV, c. 12 : « Hæ enim tum effigies deum erant laudatissimæ; nec pœnitent nos illorum qui tales coluere. »

CLXXIX.

MINERVA ARGENTEA.*

DIC mihi, virgo ferox, quum sit tibi cassis et hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Εἰπέ, κόρη γοργῶπι, κυνῆν φορέουσα καὶ ἔγχος,
Πῶς οὐ βασάζεις αἰγίδα; Καῖσαρ ἔχει.

* Sigillum Minervæ argenteum describit gerentis hastam et cassidem sine ægide; quod tamen scuti genus, postquam ei a Jove patre datum, præcipue Minervam a Deabus aliis in imaginibus statuisque distinguebat. Et hinc arripit occasionem laudandi et exaltandi imperatoris cui, quam ob causam nescio, libitum fuit mira veneratione castimo-

niæ, sapientiæ, moderationis Deam prosequi, et illius filium se profiteri. Dicit nempe tradi a Pallade Cæsari, a matre filio ægida.

2. *Cæsar habet.* Domitianus nempe. Responsio est Minervæ. Vide lib. VII, ep. 1, 4: «Pectore quum sacro sederit, ægis erit.» Adulatorie utrumque; sed hic callide et delicate multo magis.

CLXXX.

EUROPA PICTA.

MUTARI melius tauro, pater optime Divum,
Tunc poteras, Io quum tibi vacca fuit.

Ὠφελος, ἀθανάτων γενέτωρ, ἐς ταῦρον ἀμειψθαι,
Τῆς Ἰοῦς εἰς βοῦν σοί ποτ' ἀμειβομένης.

1. *Auro* cod. in marg. ed. Par. 1617 et vs. 2 *ludo* pro *Io*. Perperam. — *Tauro*. Sub cujus forma latens Jupiter rapuit Europam Agenoris, cujus historia satis nota.

2. *Io quum tibi.* De qua in vaccam transmutata Ovidius, Met. I. Sic enim, centoculo ipso Argo non advertente, illam comprimere potuisset Jupiter.

CLXXXI.

LEANDER MARMOREUS.*

CLAMABAT tumidis audax Leander in undis;
Mergite me fluctus, quum rediturus ero.

Καρτερόφρων ἐβόα Λείανδρος ἐν αἰδμασι μέσταις,
Κλύζε με, κῦμα, δόμονδ' ἄψ ἀπονισσόμενον.

* Epigramma de statua marmorea Leandri celeberrimum, et ut Græci aiunt, πολυθρύλλητον· in eo enim acumen et lepos, calliditas et mollities; ita ut acre quoddam sapiat, dulce quoddam spiret. En sane quod, lib. I, Sat. X, 44, Horatius vocat *molle atque facetum*.

1. *Leandros* codd. Beverl. In quibusdam codd. forsan *Leandrus* inveniretur: istiusmodi enim duplicem terminationem latinitas in his vocibus tulit, quæ quum a Græcis in *τρος* et *δος* clausulam suam haberent, in *ter* aut *der* facile mutabantur. Itaque, exempli gratia, a *Μαίανδρος* et *Καῦστρος* facta, tum *Mæander* et *Cayster*. ad latinarum vocum imitationem *puer, magister*, tum *Mæandrus, Caystrus*, magis similia Græcis. — *Audax Leander*. Quippe se mari commoto commiserat, media hieme, spirantibusque Austris, neque ullum habens auxilium nisi sublucentem summa in turri lucernam, aditurus puellam quam deperibat. V. Ep. Ov. XVIII, 1 seq.: « Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem, Si cadat ira maris, Sesta puella, tibi. » Videatur

et Musæi elegantissimum poema de Heronis et Leandri amoribus, cujus illud initium: *Εἰπέ, θαλά, κρηπίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων*, et imprimis extremos versus, ubi procellam describit et preces Leandri: *Αἰνοπαθῆς δὲ Λείανδρος ἀκηλήτοις ἐνὶ δίναις Πολλάκι μὲν λιτάνευσε θαλασσαίην Ἀφροδίτην, Πολλάκι δ' αὐτὸν ἄνακτα Περσείδαωνα θαλάσσης, κ. τ. λ.*

2. *Quum rediturus ero*. Sive quod sic voluptatis modo perceptæ adhuc memor et quasi plenus, emoriar felix; sive quod mortis meæ nuntium serius puella audiet, serius mortui tumulo illacrimabit. Idem fere quanquam aliis verbis supra dixerat, *Spectaculorum* libro, epigr. xxv: « Quum peteret dulces audax Leandrus amores, Et fessus tumidis jam premeretur aquis, Sic miser instantes affatus dicitur undas: *Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.* » Quod antiquorum et recentiorum flores undequaque delibans *Voltaire* sic imitatus est.

Léandre, conduit par l'amour,
En nageant disait aux orages.
Laissez-moi gagner les rivages
Ne me noyez qu'à mon retour. Et

CLXXXII.

SIGILLUM GIBBERI FICTILE.*

EBRIUS hæc fecit terris puto monstra Prometheus;
Saturnalicio lusit et ipse luto.

Τοίαδε γοῦν τὰ τέρα μεθύων πεποίηκε Προμηθεύς,
Τὰ Κρόνι ἐμπαίζειν πῆλον ἀνωξάμενος.

* *Sigillum Giberii fictile* habet edd. Par. 1617. quam sequuntur Delph. Farnab. Maitt. Quid si legas *Sigeri*? quærit annotator in marg. ed. Par. 1617.

1. *Fortis pro terris* cod. in marg. ejusd. ed. ubi annotator conj. *formis*. — *Prometheus*. Unus e Titanum celeberrimis, qui hominem ex luto primus finxisse dicitur, et apud Veteres Creatoris loco habebatur. Volunt plurimi tamen ignem divinum modo, hoc est, animam humano corpori illatam, quod antehac bruta moles erat. Horatius lib. I, Od. xvi, 13: « Fertur Prometheus addere principi Limo coactus particulam undique Desectam. » Ebrius autem hoc portentum, seu hominem gibbosum fecit, cujus sigillum erat in Saturnaliciis muneribus. Alii aliter. Ex Plinio lib. XXXIV, cap. 3: « Clesippus fullo fuit gibbere et alio fœdus adspectu, »

cui nupsit Gegania mulier prædives: ille vero Clesippus naturæ portentum est effigiatus, inquit Raderus, in quam effigiem est hoc epigramma. — Origo hujus sigilli hinc orta: Gegania prædives femina candelabrum emit nobile L sestertiis, ea tamen lege ut simul etiam emere deberet Clesippum fullonem, monstrum hominis, gibbo fœdum. Postea tamen Gegania suo Clesippo nupsit, eumque mox ex asse scripsit hæredem: qui prædives jam candelabrum illud, cujus beneficio emptus erat, loco numinis coluit. Femina hinc summa laborabat infamia, ejusque virum ob deformitatem hoc epigrammate deridet; et simul jocatur poeta in Prometheus, qui hominem e luto formavit pulchrum et venustum; quod idem ille ebrius et in Saturnalibus Clesippum gibberem fœdumque aspectu finxerit. *Rader*.

CLXXXIII.

HOMERI BATRACHOMYOMACHIA.*

PERLEGE Mæonio cantatas carmine ranas,
Et frontem nugis solvere disce meis.

Μαιονίοις ἔπεισι Βατράχους ἀσθέντας ἀναγνοῦς
Παίγμασι τὴν ὄψιν μάνθαν' ἐμοῖς διαχεῖν.

* *Batrachomachia* cod. Beverl. et alii vitio scribentes.

— *Batrachomyomachia*. Hæc vox significat pugnam ranarum et murium. Alii hoc opusculum ab Homero compositum affirmant, alii verius negant; nam in hoc poematiunculo nihil est quod Homeri ingenium arguat, sed duntaxat Homericarum formarum affectatio et quasi ludicra παρωδία.

1. *Mæonio*. Hoc est, Homericō carmine. Mæonia autem Asiæ regio est, eadem fere ac Lydia, in qua natus esse Homerus dicitur. Vide lib. V, epigr. x.

2. *Nodis pro nugis* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Et frontem*. Sic exemplo Homeri aliquando nugantis et ab heroici carminis majestate ad levissima sese demittentis suas ineptias excusat Poeta.

CLXXXIV.

HOMERUS IN MEMBRANIS.*

ILIAS et Priami regnis inimicus Ulysses
Multiplici pariter condita pelle latent.

Ἐχθρὸν Ὀδυσσῆα Πριάμοιο, καὶ Ἴλιον ἱρὴν
Διφθερέων κρύπτει πῆγμα πολυπτυχέων.

* *H. in rugillaribus m.* cod. Beverl. qui cod. in vs. 2 habet *candida* et *patent*.

1. *Inimicus Ulysses*. Hoc est, Odyssea qua Ulyssis (græce Ὀδυσ-

σίως) errores et reditus in patriam describuntur.

2. *Multiplici pelle*. Hoc est, multis membranīs involvuntur. — *Condita*. Refer ad Iliadem et Odysseam.

CLXXXV.

VIRGILII CULEX.

ACCIPERE facundi Culicem, studiose, Maronis;
Ne nugis positis Arma virumque canas.

Τὸν λογίου Κώνωπα δέχου, φιλόμουσε, Μάρωνος,
Μὴ τὰ γελοῖ' ἀφίεις, Ὅπλα καὶ ἄνδρ' ἀναγνῶς.

1. *Culicem*. Hoc est, Virgilii breviculum poema, quo Culicis fatum deflet, et cui, ob materiam de qua agitur, *Culici* nomen impositum fuit. Sane vero videtur Maronis id poematum fuisse, neque ei insulse, ut Homero *Batrachomyomachia*, affictum. Neque omni lepore destituta narratio est, neque indigni versus eo adolescentulo, cui arma Turni et Didonis amores celebrare posthac contigit.

2. *Nucibus...legas* Gruterus: et sic dat *Barb. ed. Nucis ed. Par. 1617. Nucibus* cod. Beverl. Parvi quidem id interest. Nam quidquid hic lectionis tibi arriserit et textui inducatur, idem est sensus, et per hanc vocem *nugæ* ludi et otia indicantur, per τὸ *nucis* innuuntur. Nam ut nil levius, nil vilius sale apud Græcos, sic apud Romanas nil levius nucibus: hinc huj. lib. XIV, epigr. xviii: « Alea parva nuces. » Et lib. IV, epig. lxvi, 15: « Supposita est blando nunquam tibi tessera talo, Alea sed parcæ sola fuere nuces. » Jam nucibus solebant infantuli et tenellula adhuc ætate pueri ludere. Vid. lib. V,

epigr. lxxxiv: « Jam tristis nucibus puer relictis Clamoso revocatur a magistro. » Et Saturnalium tempore imprimis etiam maturæ ætatis viri nucibus ludebant. Lib. XIV, epigr. 1: « perdere nolo nuces. » — *Legas* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Canas*. H. e. ne Saturnaliorum tempore gravioribus studiis operam des. — *Arma virumque*. Hoc est, Æneida cujus illud est initium: nam videntur antiquis, aut suppositi, aut quasi extra opus habiti fuisse versiculi hi quatuor: « Ille ego qui quondam gracili modulatus avena, etc. »; certe Æneidis prima verba, primum hemistichium sæpius proferunt Veteres ad ipsam Æneidem designandam, nec tamen verba alia proferunt quam hæc vel sequentia. Persius, Sat. I, 96, fingens sibi minus placere Virgiliana, Ciceroniana, et quidquid Augusti ætas protulerat: « ARMA VIRUM! Nonne hoc spumosum et cortice pingui? Ut ramale vetus. » Ipse Martialis, lib. VIII, epigr. lvi, vs. 19 et 20: « Protinus Italiam concepit et Arma virumque, Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi. »

CLXXXVI.

VIRGILIUS IN MEMBRANA.

QUAM brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Διαφέρη ὡς σεινὴ μεγάλου χάδε τεῦγμα Μάρωνος!
Τὴν αὐτοῦ δὲ πίναξ εἰκόνα πρῶτος ἔχει.

1. *Intonsum* MS. in marg. ed. Par. 1617. Ut illius imaginem qua intonsus et hederatus pingitur, alludat. Sed id male; nam quis asseveret talem Martialis sæculo pictum Virgilium, tali habitu, tali veste, quali hodie nos adspicimus? Tum nonne patet placuisse hic poetæ epigrammatario ἀντίθισιν, qui *brevis* et *immensum* de consilio sibi invicem proxima fecit; quorum vel hoc, vel illud si tollas, distichi magna pars et lepor omnis perit. Sic paullo infra epigr. cxc: «Pel- libus exiguis arctatur Livius in- gens, Quem mea non totum biblio- theca capit.» — *Immensum*, etc. An operis magnitudinem respicit? nam quum crassioribus tantum literis scriberent Veteres, multum spatii occupare debuerant Eclogæ decem, Georgicon libri quatuor, Æneidos libri duodecim; quibus forsitan omnibus et poematia quædam ad- jecta fuere? an Poetæ dignitatem et divinam majestatem? at prior in- terpretatio magis placet, quamvis non ita absurda censenda sit poste- rior. Et priorem firmare videtur

epigr. citat. de Livio; quamquam et in hoc rogaverint interpretes an τὸ *ingens* designet librorum multitu- dinem, aut ingenii vim.

2. *Ipsius vultus*, etc. Frontispicium habet imaginem Virgiliti. — *Prima tabella*, τὸ πρῶτον πτυχίον, *primum folium*. Hinc Isidorus folia librorum dicta esse scribit, *quod ex follibus fierent, id est, ex pel- libus*, quæ de occisis animalibus de- trahi solent. Sic et pugillares com- poni solebant, ex pluribus tabellis, quæ πτυχία dicunt Græci: hinc δίπτυχα vocabantur, quæ ex duplici tabella constabant. Latini etiam *du- plices* dixere; et *triplices*, quæ ex tri- bus, etc. πολύπτυχα, quæ ex pluri- bus. Martialis de pugillaribus citreis, lib. XIV, epigr. III: «Secta nisi in- tennes essemus ligna tabellas, Esse- mus Libyci nobile dentis onus.» Pugillares ergo illi citrei ex multis sectilibus tabellis, hoc est, foliis li- gneis compacti erant, eadem plane forma, qua et pugillares deletitii nostri, quibus hodie utimur, et *tablettes* vocamus, quasi parvas ta- bulas. *Salmas.*

CLXXXVII.

MENANDRI THAIS.*

HÆC primum juvenum lascivos lusit amores,
Nec Glycere, vere Thais amica fuit.

Ἦδε νεηνιέων πρωτίτη ἔπαιξεν ἔρωτας·
Κ' οὐ Γλυκέρη, μᾶλλον Θαῖς ἐρωμένη ἦν.

* *Menandri Thais.* Menander poeta Comicus celeberrimus, et Comicorum, modo Aristophanem excipias, facile princeps. Neque hic Aristophanem pronuntio Menandro parem, aut majorem esse. Id solum indicamus posse controversiam de excellentia et principatu inter illos viros institui; quamquam tamen Plutarchus Aristophanem probris multis insequatur et Menandrum longe antecellere asseveret. Quem omnino sequutus est in viro æstimando Nostras *Laharpe*. Nos abstinemus a judicando, et adhuc sub iudice litem manere optimum putamus, quum Menandri nihil fere jam habeamus. ED.

1. *Hic* pro *Hæc* Heins. *Hac* cod. Bev. Heinsiana lectio quidem sensu non obest; nam tunc *Hic* foret Menander.—*Primum lusit.* Inter cæteras meretrices princeps Thais amantes suos delusit: *primum lusit*, i. e. τὰ πρῶτα, primas in arte meretricia obtinuit Thais, ita ut vere meretrix dici mereretur: non γλυκερὰ, id est, benigna, comis, non molesta, non procax, sed *vere amica*; hoc est, meretrix, quæ amantes suos eludat, excludat, revocet, intercipiat. *Petitus.*—Verum Grono-

vius eo modo exponit: *Hæc*, scilicet non vera meretrix, nec sola persona comica Thaidos; sed illa, quæ in lemmate designata est, *Thais Menandri*, seu tota fabula, THAIS, inscripta: ut *Andria* Terentii. Ea igitur *Thais*, Menandri fabula celeberrima, *primum lascivos amores juvenum lusit*, hoc est, primum in scena exhibuit, et materiam comædiæ fecit amantem adolescentem. Significat itaque Menandrum auctorem esse novæ Comædiæ a Thaide auspiciatum. Jam quod sequitur: *Nec Glycere, sed vere Thais*, etc. Si roges iterum, quæ Thais? respondebo non profecto alia, quam illa ipsa comædia; cujus tanta virtus, ars tanta, tanta suavitas, ut dicere possis, hoc excellentissimum opus, vere fuisse amicam poetæ, hoc est, noctes diesque ab eo cultam, curatam, exornatam: denique animam et delicias fuisse illius unicas; non illam Glyceren, quæ tam potens fuisse fertur.

2. *Verum et pro vere* id. MS. — *Nec Glycere*, etc. Glycere amica erat Menandri, sed comædiis suis familiariter introducta, Thais facta est celebriori nomine. Quod exponit Turneb. lib. IX Adv. cap. 24.

CLXXXVIII.

CICERO IN MEMBRANIS.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Εἰ κοινωνὸς ὁδοῦ σοὶ διφθερίς ἦδε γένοιτο,
Σὺν Κικέρωνι μακρὰν οἴου ὁδοιπορέειν.

1. *Si comes ista tibi, etc.* Viæ vel longissimæ comites sufficient tibi Ciceronis libri. Ut libro I, epigr. II, videtur Ciceronis stilum quasi Asianum et redundantem taxare. Id ego non credo, non quod sane ambiguis sensibus maxime sit inimicus in levissimis his nugis epi-

grammatibusque. Sed primo nota, rarius jocos antiquis auctoribus quæritos circa ancipitem verborum sensum. Deinde, quid hic arguit fuisse Poetæ in mentem Tullio irridere? et quid est necessario commune inter *longas vias*, et *verborum ambages*, aut *redundantiam*?

CLXXXIX.

PROPERTIUS. *

CYNTHIA, facundi carmen juvenile Properti,
Acceptit famam, nec minus ipsa dedit.

Κυνθία, ποίημα θεῖον μείρακος Προπερτίου,
Τοῦνομ' ἀπὸ φίλου δέδεικται, κού δέδωχ' ἦττον φίλω.

* *Monobiblos* cod. Beverl. *Cynthia Propertii Monobiblos* ed. Barb. Alii, *Cynthia Propertii*. Alii, *Propertii monobiblos*. Vid. inf. De titulo et de vs. I consule VV. LL. nostras ad pp. 77, 78 nostræ ed. Propertianæ, et pp. 751, 752 Not. Var. ad Propertium.

1. *Cynthia*. Puella, amica Pro-

pertii, quam multis ille versibus celebrat.

2. *Nec minus ipsa dedit*. His enim carminibus claruit Propertius, quorum argumentum præbuerat Cynthia, pulcherrima puella. — Intel- ligunt male; voluptatem ipsa dedit; munus quod et gloria et immortalis nomine non ita inferius censet. ED.

CXC.

LIVIVS IN MEMBRANIS.

PELLIBUS exiguis arctatur Livius ingens,
 Quem mea non totum bibliotheca capit.

Ὄν μόλις εὐδ' ὀλόκληρον ἐμῇ χάδε βιβλιοθήκη,
 Λίβιος εἴλυται διφθερίοισι μικροῖς.

1. *Pellibus exiguis arctatur*, etc. Antiqua illa charta, quæ ex papyro erat Nilotica, qua Veteres usi, scripturam ab una tantum parte recipiebant, nec in opisthographis scribebant, nisi adversaria, etc. Quæ igitur ab una tantum parte scripta erant, ea in voluminis formam conglobabantur, et multum spatii occupabant: non enim admodum latæ

illæ chartæ fiebant. Hinc Martialis scribit bibliothecam suam vix cepisse Livii historiam in charta exaratam: at in pellibus sive membranibus scriptam, facile quamvis angustus locus continere posset. *Salm.* — *Ingens.* A styli insurgentis granditate, an ab operis magnitudine et lib. CXL multitudine? vid. *Juven. Satira VII, vs. 98.*

CXCI.

SALLUSTIUS.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
 Primus Romana Crispus in historia.

Οὗτος ἔσι, λογίων ὡς ἔννεπε θέσφατα φωτῶν,
 Πρῶτος Ῥωμαϊκῇ Κρίσπος ἐν ἱστορίῃ.

1. *Doctorum virorum.* Quintiliani lib. II, cap. 6 et lib. IV, cap. 2; Senecæ lib. III, *Declam. et Controvers.* 25, lib. V; Cornelii Taciti *Annal.* III, 30. Quanquam ultimus ille æmulum sese et multorum ju-

dicio victorem Sallustii sese præstitit; quippe qui acer et pressus in dicendo non minus quam ipse Sallustius, eloquentia et poeticis coloribus longe eum antecellit.

2. *Crispus.* Sallustius.

CXCII.

OVIDII METAMORPHOSIS IN MEMBRANIS.

Ἡὲς tibi, multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

Τοῦτο πολυπλασίῳν σελίδων ἄθροισμα πεπηγὸς
Νάσωνος πεντὰς καὶ δεκάς ἐστὶ βίβλων.

1. *Hæc tibi multiplici*, etc. *Mas-*
sam vocat integrum corpus mem-
branaceum multiplici tabella stru-
ctum (Græci *σωμάτιον* appellant);
tabellus autem, ex quibus totum
corpus operis constabat, singula fo-
lia membranæ. *Membranam* etiam
vocabant, totum corpus membra-
naceum. Ut eodem lib. XIV, epigr.

CLXXXVIII: « Si comes ista tibi fuerit
membrana, putato Carpere te lon-
gas cum Cicerone vias. » Ubi *mem-*
branam appellat omnia Ciceronis
opera in membranis descripta, et
in unum corpus redacta. Sic et per
Virgilio membranam, totam Virgilio
Æneidem intelligit. *Salmas.*

2. *Carmina*. Libros XV Metam.

CXCIII.

TIBULLUS.*

Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum,
In tota juvat quem nihil esse domo.

* Amavit Tibullus Deliam, quam
Apuleius Planiam fuisse dicit: Ne-
mesin item quam Glyceren sunt qui
ab Horatio appellatam velint; item
Næram et Sulpitiam, etc. Gyrard.
de Poet. Hist. Dialog. 4. Tribuit
autem Deliæ Martialis, quod Ti-
bullus Nemesi. Libro I, Eleg. 5,
29 et seq. « Illa regat cunctos, illi
sint omnia curæ; Et juret in tota
me nihil esse domo. »

1. *Ussit*. Amore nempe. Hæc vox

eodum sensu eademque cum ἑλ-
λαίψει occurret mox epigrammate
ccvii: « Ussit amatorem balteus
iste Jovem. »

2. *Quem*. Pro hoc quam exhibet
cod. Beverl.—*Juvat quem*. Hoc est,
non jam in ædibus suis dominum
atque herum, sed e mancipiis in-
fimum et humillimum. Totum
quippe domus imperium penes De-
liam erat. Vid. Tibulli distichum
quod hic Noster innuit; sup. not. 1.

CXCIV.

LUCANUS.

SUNT quidam, qui me dicunt non esse poetam;
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Οὔ με λέγουσιν οἱ τινες, πολέμους ἄδοντα, ποιητήν·
Ἄλλὰ σύ μ', ὅς πωλεῖς, βιβλιοπῶλα, λέγεις.

1. *Sunt quidam.* De Lucano dictum lib. VII, epigr. XXI, XXII et XXIII, quem commendavit Poeta. — Jam igitur Martialis temporibus quumque Lucano suo inprimis nova Roma, Roma imperatoria gloriaretur, iis, inquam, temporibus jam critici negaverunt Epicum poema esse vere Pharsaliam, et historicis magis Lucanum quam poetis annumerandum existimarunt. Quæ sententia hodie pervagata latissime est, et iis potissimum rationibus firma-

tur, subtilius forsan quam verius. Volunt nempe cani a Poeta epico res fabulosas, aut fabulis ita mixtas ut a fabulosis parum distent. Tum Deos necesse est in scenam prodire, quod nusquam in Pharsalia. Solent demum Epici victorem celebrare; non hoc Lucanus:

Pour lui, comme Caton, il sourit au malheur.
Un autre plus fidèle aux lois de l'Épopée
Aurait choisi César: il a choisi Pompée.

2. *Putat.* Me esse poetam: quum ex meis versibus rem faciat.

CXCIV.

CATULLUS.

TANTUM magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Τόσσα ῥ' ὀφείλει ἕω Βερόνη, μέγα ἄστρῳ, Κατούλλῳ,
Ὅσσα Μάρωνι ἕω Μαντούς ἄστρῳ μικρῶν.

1. *Tantum.* Hoc est, claram suam patriam non minus Catullus, quam

suam obscuram illustravit Virgilius, vid. lib. I, epigr. LXII, 2.

CXCVI.

CALDA ET FRIGIDA AQUA.*

ἩÆC tibi, quæ fuerint caldarum nomina, dicunt;
Ipsa suas melius charta natabit aquas.

Ἡδὲ βίβλος κρήνας, καὶ νάματα τεχνολογοῦσα,
Ἰῶσιν νήχουτ' ἄν σφοῖσι δικαιότερος.

* *Calvi de aquæ frigidæ usu* cod. Thuan. et edd. Maitt. et Barb.

1. *Hæc tibi quæ fuerint, etc.* Sic legendum est: *Hæc tibi quæ fontes et aquarum nomina dicit, Ipsa suis melius charta notabit aquis: et quidem ex optimis codd.* * *Flosculus. Fontes et aquarum nomina dicit* cod. Beverl. et Barb. ed. *Fuerant* ed. Maitt. — *Quæ fuerint caldarum.* Et hoc et inscriptionem (quæ fuerat: *Calda et frigida aqua*) præclare emendavit ex opt. lib. I Gruterus, confessus tamen, nondum sic quoque omnia esse perpurgata. In eisdem libris legebatur: *Visa suis.* Scribimus igitur: *Visa suis melius charta notabit aquas.* Id est, tibi notandas et intelligendas dabit melius quam ipsæ se, quam ipsæ ingenue et naturales, quas liber continet ac describit. *Gronovius.* — *Hæc tibi.* Mittit versus de variis aquæ caldæ nominibus. — *Dicunt* nempe hæc carmina.

2. *Ipsa.* Vid. quæ supra notæ primæ initio. *Notabis* cod. in marg. ed. Par. 1617. — *Ipsa suas.* Vide lib. I, ep. vi. 2, * *Vis puto cum libro, Marce, natate tuo.* * Sic suos versus

extenuat Poeta. De aqua calda sæpius jam dictum.—Impeditissimus locus; quem tamen quum tot eruditi viri excusserint, et prope attingerint, facile jam iutelliges. Ante tamen quam sensum assequi tentaveris, revoca tibi in mentem quid sint *Apophoreta.* Tabellæ nempe e papyro, chartave membravæ in quibus pingebantur res variæ quarum pro rebus ipsis imagines togatuli patronis offerebant, et amicis interdum amici. Duo ergo accurate secernere est, chartam scilicet, et chartæ impositas imagines. Porro Martialis imaginibus versiculos subiciebat, quos dum iis ab imaginibus distinguit, cum ipsa charta confundit. Quid inde? Balnearum nomina et forsan ædium figuræ *hæc*, id est, imagines et picturæ indicant; *ipsa* vero, hoc est, charta digna est quæ aquis innatet. Nonne autem, ut omnes voluere, *suas* est *frigidas, algentes*, quasi diceret poetico calore prorsus vacuos versus suos? Minime; sed *aquas* charta quodammodo potest extenuare sponte sua per modestiam, ut vocare *suas*, quod eas exhibeat.

CXCVII.

MULÆ PUMILÆ.*

HIS tibi de mulis non est metuenda ruina ;
 Altius in terra pæne sedere soles.

Σοὶ μὲν ἀφ' ἡμιόνων τοῦτων οὐ δεινὸν ἂν εἶη
 Πτώμα· χαμαὶ δ' ἴζοις μικροῦ ἂν ὑψιτέρω.

* *Pomiliæ* edd. Ald. Junt. Colin. Delph. Farnab. *Pomilliæ* ed. Paris. 1617. *Paullæ* Sriverius, et sic ed. *Barbou*.

— In pretio olim habitæ pumila statura mulæ, mannuli item quos parvis liberis potentiores emebant, ut ex epistola Plinii minoris de morte Reguli discis.

1. *Pumillis* pro *de m.* Florent.

2. *Altius in terra.* Quam sedeas in mula tam brevis staturæ. — *Sedere.* Cave ne Poetæ subtilissimum etiam in minimis acumen prætereas: neque enim dicit *stare* aut quod rhythmo congrueret *stetisse*; quasi dubium minime esset fore ut stans vere altior videretur.

CXCVIII.

CATELLA GALLICANA.

DELICIAS parvæ si vis audire catellæ,
 Narranti brevis est pagina tota mihi.

Εἰρομένῳ τρυφεροῦ σκύλακος πᾶν τρῆνος, ὅλη μεῦ
 Σοὶ σελὶς ἐξειπεῖν ἄρκιος οὐκ ἂν ἔοι.

1. *Delicias.* Hoc est, delicatos et lepidos mores, procacitatem, munditiam, solertiam et cætera. *Deliciæ* proprie tunc dicebatur de iis qui domino gratissimi erant; mox de animalibus, tum de cibis et opsoniis.

2. *Brevis est.* Alii, *prima est*, et sic cod. in marg. ed. Par. 1617, ni fallimur, ut indicet primum librum, quo epigr. cx, Issam catellam Publii descripsit. — *Brevis est pagina*, scilicet, non sufficit. *Dom.*

CXCIX.

ASTURCO.

Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus, Astur equus.

Τυτθὸς ὄδ' ἐνρύθμοις ὀπλαῖς πεδίοιο κροαίνων,
Ἦλυθε χρυσογόνων ἵππος ἀπ' Ἀσυρίων.

1. *Brevis*. Nam brevissimæ staturæ Asturcones equi, a quibus (Plinio teste lib. IX, cap. 43) non vulgaris in usu gradus, sed inollis alterno crurum explicatu glomeratio. Quam ob causam pueris et equo hæerere haud probe scientibus in usu potissimum fuit. Notandum porro est Asturconis nomen equis impositum qui non ex Asturum finibus venerant, modo

Asturconum statura et gradu ferent. Sic Arbiter cap. 86: «Cras puero Asturconem Macedonicum optimum dabo.» — *Rapidos*, etc. Gallice, qui va l'amble.

2. *Ab auriferis gentibus*. Hoc est, ex Asturia Hispaniæ provincia, ubi sunt aurifodinæ. Lib. X, epigr. xvi, 3: «Accipe Callaicis quidquid fodit Astur in arvis.» Vid. et ejusd. libri epigr. lxxviii et xcvi.

CC.

CANIS VERTAGUS.*

Non sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Ὁδχ αὐτῷ θηρᾶ, τῷ κτήτορι δ' ὄζυς ἐπακτῆρ
Οὔτος ὀδὰξ ἀβλαβῆ πτώκα δόμονδε φέρων.

* *Canis Verturacius* exhibet cod. MS. Beverl.

1. *Vertagus*. Vox peregrina videtur, de qua Turneb. lib. XVIII,

cap. 1, quasi fertrahus, hoc est, feram trahens. Item Passeratius de literis: *Vertagus* dicitur pro *Fertrahus*, a fera trahenda.

CCI.

PALÆSTRITA.

NON amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Οὐ φιλέω νικῶντ', ἀλλ' ὅς κατακλίμεναι οἶδε
Βελτίον' οἰόμενος τὴν ἀνακλινοπάλην.

1. *Qui vincit.* « Arntz. ad Vict. Cæs. XI, ex scriptis reponere tentabat quod vincat, sed quod. Salmas. Hunc amo legebat. » De Rooy, qui dubitat an vulg. defendi nequeat, et eam multis tuetur. Ad eum scripta epistola Vir doctus ita notat: « MS. quod vincat, sed quod. Sed video ipsum jam Arntzenium, pristinum collationum possessorem, hoc discrimen annotasse ad Aur. Vict. p. 341. A. quod mihi tamen præ vulgata non placet. » Quod vincat cod. Beverl. Quod suc. idem. Non vult alii. — Non amo. Non probo luctatorem qui viribus vincit, sed qui se reclinat, atque ex reflexione palæstræ adversarium dejecit. Farnabius. Legit vero et distinguit Salmasius: « Hunc amo qui vincit, sed qui succumbere novit, Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην. » Contrario; inquit, sensu, et quem Pœtæ mens non recipit, hodie legitur: *Non amo, qui vincit.* Cur enim palæstritam amare se diceret non vincentem? Dicit amare se quidem hunc palæstritam qui vincit, sed qui etiam novit succumbere: hoc est, qui succumbendo vincit, qui περιγίνεται ἀναπιτνάμενος, ut inquit Pindarus, καὶ οἶον πίπτων. Magis

commendari innuit palæstritam qui arte vincit, quam qui viribus: qui τοὺς ὑπτιασμοὺς novit, καὶ τοὺς γάμαι τρόπους, quæ Theocritus παλαίσματα σύμφορα τέχνη, nimirum τῶν εἰς γαῖαν προπεσόντων. Tum ἀνακλινοπάλη Martialis, pancratium dicebatur, quod ἐν τῷ ἀνακλίεσθαι καὶ ὑπτιάζεσθαι plerumque exercetur; ad distinctionem τῆς ὀρθίας πάλης, quæ a stantibus et erectis pugnatur, in qua vicisse erat adversarium solo dejecisse. Secus omnia in pancratio, in quo et succubuisse erat artis: nam et humi volutantes nexus suos expediebant impediabantque, viribusque superiores adversarios sæpenumero sic vincebant. Non aliter quippe victus quispiam putabatur in pancratii lucta, nisi animum desponderet ac victum se fateretur.

2. *Dicit.* Conject. Farnab. *didicit.* Legendum putat Beverl. ἐπιστιθεῖ-παλιν. Vide infra. — Ἀνακλινοπάλη. Vox est ficta quæ alibi non reperitur. *Clinopale* legitur apud Suetonium qui ait Domitianum (cap. 22), sic vocare *assiduitatem concubitus* unde aliqui turpem sensum clicant ex hoc disticho. Ἀνακλίνω græce est, reclino; πάλη, palæstra.

CCII.

SIMIUS.

CALLIDUS emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Ῥιπτομένους ἰοὺς σεσοφισμένος εὖ ἀλέασθαι,
Εἰ κέρκον κτώμην, κερκοπίθηκος ἂν ᾔην.

1. *Eludere hastas*. Hoc est, corporis saltu, hastam vel tela declinare et persequentes quasi ludere.

2. *Cercopithecus*. Simiarum vel simiorum varia sunt genera, et cauda inter se distinguuntur. Simiæ

sine cauda dicuntur a Græcis πίθηκαι: quæ caudam habent, κερκοπίθηκαι: κέρκος enim significat caudam. Vide epigr. cxxviii, supra. — *Eram pro essem*, temporis enallage nobis etiam satis usitata.

CCIII.

PUELLA GADITANA.*

Τὰν tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Ἰγρὸν κινωμένην σκιρτώσαν θ' ἠδύ μιν αὐτὸς
Λουσιῶν Ἰππολύτου χειροτρίβης γένετο.

* E. puellis saltatriculis quas luctu causa circumducebant servulorum mercatores, illæ imprimis tanusæ erant quæ e Bætica advehbantur. Beticæ autem urbs celeberrima Gades. Martialis jam lib. I, ep. xvii. 12: «Quod de Gadibus impudus magister»; lib. VI, epig. cxxi, 1 et sqq. «Edere lascivos ad flathæ cunctata gestus Et Gadi-

tanis ludere docte modis; Tendere quæ tremulum Piliæ, Hecubæque maritum Posset ad Hectoreos sollicitare rogos.» Vide et Juven. Sat. XI, vs. 162, et Sat. VI, vs. 326.

1. *Ut ipsum Masturbatorem, etc.* Ut incenderet vel castissimi propositi virum, incitaretque ad libidinem nefandam: lib. IX, epig. xlii, et lib. XII, epigr. xcvi.

CCIV.

CYMBALA.

ÆRA Celænæos lugentia matris amores
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Γάλλε, Κελαιναίων θρηνήτορα μητρὸς ἐρώτων
Χαλκὸν ἐπώλησας πολλάκι πειναλέος.

1. *Tundere* conjicit de Rooy. — *Æra*. Hoc est, cymbala, seu instrumenta sonora ex ære, quæ pulsabant Galli Cybeles sacerdotes, deflentes Atyn puerum ab ea perditæ amatum. — *Celænæos amores*. Atys nempe patria fuit Celænæ, urbs Phrygiæ famosissima, ex qua Marsyas oriundus fuit et Midas. — *Matris*. Hoc est, Cybele, quæ Saturni conjux, mater Jovis, Neptuni, Plutonis et Deum omnium habebatur.

CCV.

PUER CINÆDUS.

SIT nobis ætate puer, non pumice levis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.

Λεῖον ἔγωγ' ἂν ἔχοιμ', ἀλλ' οὐ κισσηρίδι παῖδα,
Τοῦ γ' ἔνεκ' οὔτις ἐμοὶ δόξαι ἑταῖρα καλή.

1. *Non pumice*. Impubes, non pumice aut dropace levigatus, non, ut lib. II, epigr. xxix, vs. 6, « Cui splendent vulso brachia trita pilo. » Notum vero est pumice uti solitos Veteres, ut pilos sibi molliter dederent potius, quam evellerent et extraherent quod forcipis auxilium exigebat. — Eo mollitiei, non dicam elegantiae, devoluti erant, ut et crura, et alias corporis partes pumice sibi levigarent. Ovidius, Art. Am. I, 506 et seq. : « Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos, Nec tua mordaci pumice crura teras. En. »

CCVI.

CESTOS.*

COLLO necte puer meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.

αὐτὸν δῆσαι ἔρωτα, παῖ, τραχήλω,
ζωστῆρ ὃν Παρίης ἔθαλψε κόλπος.

* Nulla in hujus distichi scriptura varietas est membranarum, nulla librorum.

1. *Meros amores Ceston.* De quo fise diximus lib. VI, epigr. xiii, 5. Veneris nempe fuit balteus, quo qui

percutiebatur, percussoris amore incendebatur: idcirco Poeta vocat ceston *meros amores*.

2. *De Veneris sinu calentem.* Sic innuit modo depositam zonam a Dea divini et pulchri aliquid retinere.

CCVII.

IDEM.*

SUMI. Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Ussit amatorem balteus iste Jovem.

Δέξο Κυθηριακῶ φαρμακτὸν νέκταρι κερσόν·
ἔφλεξε ζωστῆρ οὗτος ἐρῶντα Δία.

* Neque in hoc epigrammate exhibendo ulla est sive codd. sive librorum discordia. Vide Commentatores Horatii ad Oden xiii, lib. I, 15 et seq. « oscula, quæ Venus Quinta parte sui nectaris imhuit. »

1. *Medicatum nectare.* Cui nimium inenarrabilem quamdam et velut magicam potentiam instillavit Cythustaci nectaris infusio.

2. *Ussit amatorem.* Juno nempe hoc balteo Jovem percutiens ad sui amorem allicit, et ab aliis amoribus cohibet, teste Homero. Vide lib. VI, epigr. xiii. — At mihi videtur Poeta innuisse non amorem Jovis perpetuum, ergo nec uxorem; quid enim hoc amore falsius? sed duntaxat homericam fabulam concubitus in Ida monte.

CCVIII.

NOTARIUS.*

CURRENT verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Χεὶρ καὶ ἐπειγομένου ταχινωτέρη ἐςὶ λόγοιο·
Οὐπω γλῶσσ', αὐτὴ δ' ἤνυσεν ἔργον ἐόν.

* Dicti sunt Notarii, qui excipientes verba dictantis, per notas et compendia scribebant, tam celeriter et expedite, ut linguam dicentis vel dictantis etiam anteverterent. Dein et erant Notarii actuarii, quod in acta referrent, quæ dicebantur in senatu et ad plebem.

1. *Current verba licet, etc.* Ut volubili fluat lingua, manus τοῦ εἰς

τάχος διὰ σημείων γράφοντος (ut loquitur Galenus) loquentem prævenit. Vid. Senecæ epist. 91. Apud nos hujusmodi viri nunc vocitantur *sténographes* aut *tachygraphes*. Auson. epigr. cXLVI, 20 sqq. elegantissimis iambis: « Tu me loquentem prævenis! Quis, quæso, quis me prodidit? Quis ista jam dixit tibi, Quæ cogitabam dicere? »

CCIX.

CONCHA.

LEVIS ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat: inoffensa curret arundo via.

Εἰναλίη κόγχη λειαινέσθω Μαρεώτης
Φλοιὸς ἀκώλυτον θρέζει ὄδευμα δόναξ.

1. *Cortex Mareotica.* Hoc est, chartæ papyracæ, in quibus scribebant antiqui, leves fiant, ut scribendo calamus non hæreat. Plinius lib. XIII, cap. 12, de generibus chartarum, sic ait: « Scabritia levi-

gatur dente, conchave, etc. » Mareotis vero Ægypti pars est, ubi frequentes sunt papyri.

2. *Fit licet offensa currit in marg.* ed. Langii. *Scilicet offensa* Vat. *Hirundo* in cod. Beverl.

CCX.

MORIO.

NON mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa;
Quisquis plus justo non sapit, ille sapit.

Μωρίη οὐ πλαστὴ ἀνδρὸς πέλει, οὔτ' ἐπιτηδής·
Καὶ γὰρ ὁ μωρὸς ὑπὲρ μέτριον, ἐςὶ σοφός.

1. *Non mendax.* Id est, morio non fictus, sed a natura fatuus est. De morione dictum lib. VI, ep. xxxix; lib. VIII, xiii; lib. XII, xciv. Iis autem quæ supra notata hoc loco iterare supervacuum foret, hæc addemus, quum in deliciis apud divites essent stupidi et hebetes viri, simulasse innox quosdam, ut magno venirent, stultitiam (et ad

hoc lib. VIII, epigr. xiii referendum); at fraudem sæpe eo odorari erat quod stultitiæ nimis præ se ferrent, et ultra, non quam par est, sed quam possibile est, fatui viderentur. — *Stupor.* Hoc est, quod nos vocamus *stupidité*; non idem quod *étonnement*, quanquam ponantur aliquando *mirari* et *stupere* ut verba synonyma. Ed.

CCXI.

CAPUT ARIETINUM.*

MOLLIA Phryxæi secuisti colla mariti.

Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit?

Φριζείου δασύμαλλον ἀπέθρισας αὐχένα κριοῦ·
Ἔσθως ὁ σοὶ θαμὰ δοῦς, τοῦ ἀπέλαυσε τόδε.

* *Fervicinum* cod. Thuan.

1. *Phryxæi colla.* Hoc est, caput arietis, qualis ille, quo vectus Phryxus mare trajecit. Vide l. X, ep. li. — *Mariti.* Sæpius dicitur poetis pro *aries*, interdum et pro *hircus*. Sed

tunc semper aliqua vox juncta adest, ut nempe distinguatur facile, an de hircis, an de ariete sermo fiat.

2. *Sæpe pro sæpe* cod. Beverl. — *Tunicam qui.* Nimirum ex vellere tonso, e lana.

CCXII.

PUMILIO.*

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas;
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Ἀνθρώπου μὲν κρᾶτα βλέπων μόνον, Ἕκτορα φαίης
Ἐμμεναι ὀρθὸν ὕρῶν, Ἀστυάνακτα λέγοις.

* *Pumillus* cod. Thuan.

1. *Si solum*. Sedens nempe et capite tenuis visus prope gigas; stans vero puer videbatur. Notabile autem est pumilionibus fere semper et homunculis quos gallicus sermo

appellat *nains*, portentosæ magnitudinis et crassitudinis caput esse, neque ullo modo cæteris corpusculi partibus congruum. — *Hectora* ... *Astyanacta*. Herois trojani et ejus filii historia satis nota.

CCXIII.

PARMA.

Ἦεε, quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi, scutum pumilionis erit.

Ἢ νικᾶσθαι ἐθῆς, καὶ μὴ νικᾶν δεδαυῖα,
Σοὶ πέλτη, νάνῳ δ' ἔσσεται εὐρὸν σάκος.

1. *Hæc*. Parma nempe, quæ breve erat scutum, quo qui armati erant in arena, quod ejus brevitate non satis essent tecti, sæpe vincebantur. Sic Turnebus lib. V, cap. 10 citans hoc epigramma. Thraces autem parmam gerebant, quorum factionem oderat Domitianus: unde ipsi adulatur Poeta, quum dicat *parmam sæpe vinci*. Videtur attamen non-

nunquam et inter duos parmularios certamen exstitisse. Martialis lib. IX, epig. 1. XIX, 8: « Vincenti parmæ quum sua turba favet. »

2. *Erat* in edd. vett. — *Tibi*. Procero nempe. — *Scutum*. Quod parma longe grandius totum corpus contegebat. Sensus est: Homo procerus non bene parma munitur, sed nanus optime.

CCXIV.

PUERI COMOEDI.*

NON erit in turba quisquam μισούμενος ista ;
Sed poterit quivis esse δισεξάποθος.

* Recte Turnebus censet ludere Poetam in indicibus sive titulis duarum fabularum Menandri. Et Μισούμενον quidem appellat Pollux lib. X, c. 31, καὶ ἐν τῷ Μισουμένῳ Μένανδρος Ἀφανεῖν γεγόνασιν αἱ σπάθαι. Sed Δισεξάποθος vox est nihili et contra omnem analogiam. Nec sic habetur apud Fulgentium, quem ejus auctorem dat Turnebus : sed hoc modo : *Nam et Menander similiter in Disexapathon comœdia ita ait. Fuit ergo: δισεξαπατῶν; id est, bis fallens vel decipiens. Et hoc convenit isti generi, spem sui facere, et postea eam fallere non semel, exemplo illius, de quo Ovid. Met. VII, 372 :*

« nam Phyllius illic Imperio pueri volucresque ferumque leonem Tradiderat domitos : taurum quoque vincere jussus Vicerat ; et spreto toties iratus amore, etc. » Vidimus etiam scriptum in MS. *disexepeton*. Vicissim Martialis hic locus tuetur locum Fulgentii, quem mire vexat Reinesius, *dysexapto, epeisacto, episatomo, disexapateto, dysexapateto*, substituendo. Quæ omnia non sunt nauci : nec aliud fuit quam *disexapaton*. Gronovius.

2. « Διδεξάποθος : δις ἐξαπατῶν. » *Beverland*. Intelligendum est posteriorem lectionem e MS. ejusdem *Beverl.* evenire.

CCXV.

FIBULA.

DIC mihi simpliciter, comœdis et citharœdis
Fibula quid præstat? carius ut futuant.

Εἰπέ μοι ἀτρεκέως, κωμῶδους καὶ κιθαρῶδους
Ἡ πρόνη τί ποίει; πλείονός ἐστι σοβεῖν.

1. *Comœdis*. Adi lib. VII, epigrammat. LXXXII, 2.

2. *Si quid præstiterint Carius* in marg. ed. Langii.—*Car. ut fut.* Num

sanctius, num castius degunt? minime, sed pecuniæ magis expetunt a feminis. Juven. Sat. vi, 73 : « Solvitur his magno comœdi fibula. »

CCXVI.

ACCIPITER.

PRÆDO fuit volucrum, famulus nunc aucupis : idem
Decipit, et captas non sibi mœret aves.

Ἄρπαξ ἦν πτηνῶν, νῦν δ' ἰξευτῆρος ὑπουργὸς
Κηλεῖ, κ' οὐχ αὐτῷ μέμφεθ' ἀλισχόμενα.

1. *Prædo fuit.* Hoc est, priusquam mansuefieret accipiter, sibi capiebat aves, nunc aucupī capit. Idem dixit supra epigramm. cc de cane vertago : « Non sibi, sed domino venatur vertagus acer. » Videtur autem id venationis genus olim

apud proceres et divites viros in deliciis fuisse. Quod ad sæculum a Chr. N. xvi et xvii quoque persistit, at ex hoc tempore sensim neglectum et relictum fuit.

2. *Non sibi.* Sed aucupi domino qui ipsum manu tenet, ipsum ducit.

CCXVII.

OPSONATOR.*

DIC quotus, et quanti cupias cœnare; nec unum
Addideris verbum : cœna parata tibi est.

Πόσος, καὶ πόσσου δειπνεῖν, μόνον εἰπέ, προαιρῆ,
Καὶ μηδὲν λέγε πρὸς, δόρπον ὀπλισσάμεθα.

* *Opsonator.* Is nempe est qui magna in domo cibis et opsoniis comparandis præest.

1. *Dic quotus, et.* Sic exhibet cod. manu scriptus Beverl. et cod. in marg. ed. Par. 1617. *Es* cdd. vett. — *Dic quotus.* Nam pro numero convivarum, et pro ratione impen-

sæ, splendidum aut frugale convivium apparabatur.—Credo ego hic tacite meminisse Martialem de Luculli historiuncula; quem quum Cicero aliusque adiissent cœnam petentes nec splendidiorē quam solito, is dixit uni e servulis se illo die in Apolline cœnaturum.

CCXVIII.

CALAMI AUCUPATORII.

NON tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Οὐ καλάμοις μόνον ὄρνις ἀλίσκεται, ἀλλὰ καὶ ᾠδῇ,
Χερσὶν ἕως δολεραῖς αὖξεται ἦκα δόναξ.

2. *Callida* edd. Par. 1617, *Barb. Maitt.* non pessime. — *Pallida dum tacita.* Auceps sub arbore latitans invitabat cantu aves, quibus jam arbori insidentibus, infra paulatim assurgens, viscatas virgas subjicie-

bat, capiebatque: et hoc est, quod Poeta dicit crescere arundinem seu virgam, dum paulatim ab aucupe in digitos pedum surgente tollitur, aviumque pedibus subjicitur, ut crescere sensim videatur. *Raderus.*

CCXIX.

COR BUBULUM.*

PAUPER caussidicus, nullos referentia nummos
Carmina quum scribas; accipe cor, quod habes.

* *Cor bubulum.* Multiplex variatio hoc loco. « Ald. ed. 1517. *Cor bubulum* habet, quod etiam Turn. IX, 14 se reperisse scribit. Lipsius vero I, epist. 5 legit *Corculum*, et *cor quod abest.* » Ita marg. ed. Paris. 1617. *Corculum* edd. vett. et Delph. *Corbubulum* jungit *Barb. ed.* *Corbubulum* cod. Beverlandi, qui vult quod nos legimus. « Legendum plane, ut excusum ubique est, *cor quod habes*, servato titulo veteri *Cor bubul.* » Sic fere Flosculus.

2. *Accipe cor.* Hoc est, bovis cor stupidum, quale tu ipse habes sive quum in foro causas agis, sive quum versus scribis, neque enim ex his, neque ex hoc ullam utilitatem percipis. Vide ad lib. I, epigr. LXXVII. Vel intelligi potest dementem, seu non cordatum virum illum esse, qui, relicto foro ubi pauca quædam lucrabatur, carmina scriberet nummorum etiam minus referentia; sic tacite dolet Poeta et conqueritur suam ipsius paupertatem.

CCXX.

COQUUS.*

NON satis est ars sola coquo : servire palatum
Nolo; coquus domini debet habere gulam.

Αἱ καρυκεῖαι μόνον οὐ τέχνημα μαγείρου
